PHILIPPICA
SEXTA.

IOHANNIS COCHLAEI,
Cum adiunctis Tractatulis Tribus
Quorum.

I.	est	*Michaëlis Vehe Præpositi Hallensis fœ. re.*
II.		*Arnoldi Vuesaliensis Canonici, dum uiueret, Coloniensis Alumni Bursæ Montis.*
III.		*Eiusdem Io. Cochlæi. De uera Ecclesia Christi.*

CONTRA PHILIPPI MELAN.
Responsionem pro Bucero In Colonienses Bonnæ nuper æditam.

Ingolstadij ex officina Alexandri Vueissenhorn.
M. D. XLIIII.

Cum Gratia et Priuilegio.

11

AD INVICTISSIMVM ROMANORVM

Imperatorem, ac Religiosissimum Principem Regemq; Hispaniarũ &c. Catholicum, CAROLVM V. Philippica Sexta Iohannis Cochlæi, Canonici Vratislauiensis.

SI MAIESTATI, IMPERATOR Auguste, tuę fideliter insinuata fuissent ea, quæ ante Triennium in Quinta Philippica fidelissima intẽtione scripsi, multa potuissent euitari mala, quæ interim acciderunt, dum plus quam oportebat creditum fuit mendacibus quorundam suggestionibus, duorum præsertim hypocritarum, Philippi Melanchthonis & Martini Buceri, qui sub nequissime simulato pacis & concordiæ desyderio, contentionis & discordiæ faces indies magis ac magis accenderunt latiusq; extenderunt. Quos profecto ad nullos tractatus publicos admitti decuisset, nisi prius expurgassẽt sese de criminibus, à me alijsq; sibi publice obiectis. Obieci autem in ea Philippica inter alia multa, seditiosas utriusq; uoces, quas in tuam pręcipue Maiestatem, tanq; in Imperatorem Orthodoxum Regemq; Catholicum, falsis nouarum sectarum Lutheri & Zuinglij dogmatibus aduersantem, euulgauerant.

Quippe ex Philippi dictis permultis, quæ calumniose scripsit, istas quoq; uoces recitaui. Sed huius (inquit) ætatis Reges ac Principes, cum uideant iniuste exerceri crudelitatem contra pios, cum pleraq; uitia Ecclesię intelligant,

Seditiosa uerba.

Phil In lib. de officio Principum.

ligant, tamen nequid accersant sibi odij aut periculi, adiuuant sęuiciam, defendunt impietatem, contra conscientiam. Metuunt.n. conspirationes Pontificiæ factionis, & quod indignissimum est Heroico genere, metu, ignauia, aut etiam spe certarum utilitatum, produnt religionem & iustitiam. Ex dictis uero Buceri hæc inter alia recitaui uerba. Imperialis potestas non est nunc plena & absoluta, sicut olim fuit tempore Monarcharum Ro. Imperij Quoniam fregerūt eam in his terris Franci, & hoc complete factum est à Clodoueo, antiquo Frācorum Rege ante M. annos. Nūc uero mensurata seu limitata ac ligata est Ro. Imperatoris potestas &c. Quasi uero Iustinianus Imperator, qui multis post regem Clodoueum annis imperauit, non habuerit plenam in Imperio potestatem, aut Quasi successores eius in Imperio, legitimi Principes non habuerint eandem potestatem quam habuerūt eorum Antecessores. sicut omnia iura disponūt. Audiat igitur seditiosus cauillator iste hæc Iustiniani uerba. Quid maius, quid sanctius Imperiali Maiestate? uel quis tanto superbię fastigio tumidus est, ut Regalem sensum contemnat? Scripserūt aūt ambo isti potestatum calumniatores & Maiestatis blasphematores (ut uocat eos Iudas Apostolus) pleraq; alia quoq;, per quæ plerię; Principes & Ciuitatum Magistratus, ad rebellandum tuis Cæsar Edictis Imperialibusq; Recessibus audentiores facti sunt. De quibus merito rationem reddere debuissent, antequam Vuormaciæ ac Ratisponę ad tractatus publicos admitterentur.

Reges et Principes prodere religionem & iustitiam.

C. de legibus et consti. L. fi.

Tempus Ratisponæ male perditum.

Dum aūt indulgentissime haberentur, et honorifice in tuę quoq; Maiestatis conspectum inducerentur, & de religionis causa colloquio adhiberentur, uersutissimi pacis et Imperij hostes isti, uanissimis illusionibus et simulatiōib⁹ suis suffurati sūt Maie. tuę atq; etiā sereniss. Regi Ro. Vn. & Bohe. fratri tuo, omne rei benegerendæ tempus. Dum

tota

tota æstate desiderio concordiæ, in religione per colloqui um constituendę, resideret Maiestas tua Ratisponæ, et im mānissimis interim Christiani nominis hostibus, Turcis et Mauris daretur spacium colligendarum aduersus arma uestra uiriū. Vnde secutę sunt grauissimæ ac perpetuo do lendæ clades. Vna apud Budam Vngariæ Regiam, alte ra in mari apud Algeram Mauritaniæ propugnaculum, quod proculdubio in tuas Cæsar manus peruenisset, nisi optimum & nauigandi & belligerandi tēpus perdidisses Ratisponę per inane illorum colloquium. Dum autem in tēpestiue te classēq; tuam, nobilissime accuratissimeq; om nibus ad rem bene gerendam necessarijs instructam, mari committis infido, et nauigationis iam impatienti, parum abfuit, quin te ipsum cum toto simul exercitu classe per naufragium disiecta, perderes. Perdidistis itaq; per infau stum illud colloquium (in quo pestilentissimum hoc par hęreticorum regnabat) duo desyderatissima regna, unum in Europa, alterum in Aphrica, maxima cum militum ducumq; uestrorū clade et rerum damnis prorsus irrecu perabilibus.

Quam uero gratiam habuerunt aut rependerunt uo bis Collocutores isti precipui, pro nimia illa erga ipsos nō patientia modo, sed etiam gratia & beneuolentia uestra? Subuerterunt interim uobis pręsentibus fidelem populū Ratisponensem, suis & suorum complicum concionibus & libellis, atq; mendacibus de tua Imperator Maiestate, scriptis gloriati sunt, missis inde ad diuersas ciuitates & prouincias literis gratulatorijs, quasi approbaueris ea quæ ipsi in colloquio concluserant, calumniosis pręterea quere lis traduxerunt optimum & Doctissimum uirum R. D. Card. Contarenum, sedis Apostolicæ Legatum (quem paulo post eripuit nobis Deus, eo quod eius bōitate ac uir tute dignus non erat Mundus) tanquam paci & Euange

Maligna ingratitudo.

llo aduersantem. Criminati sunt item Episcopos & Principes nostros Catholicos, quod noluerũt omnia quæ in colloquio illo tractata & conclusa fuerant, comprobare aut acceptare. Libro insuper à Maiestate tua, ad colloquiũ dato superbas in annotationibus suis impijs (quas & Principibus statibusq; Imperij publice cõmunicare tanquam ab omnibus comprobandas non sunt ueriti) censuras adiecerunt, uelut legum Ecclesiasticarum latores & noui Ceremoniarum magistri.

Improba studia.

Post discessum uero tuũ. Optime Cæsar, domum reuersi, mox euulgauerunt per Typographos Acta & Colloquia Vuormaciæ & Ratisponæ habita, uelut uictoriarum suarum Encomia. Contra quorum mendacia bene prolixas ęddiderunt Apologias D. Iohannes Eckius et D. Albertus Pighius, duo illi fidelissimi iuxta atq; doctissimi Catholicæ Ecclesiæ, et sedis Apostolicæ propugnatores, uelut Duo in hęreticos à Deo prępara fulmina. Quam autem amplius benignitati erga se tuæ retulerunt gratiam Collocutores isti? Traxerunt in sententiam & sectam suã plures postea Principes, qui antea tuis consenserant atq; paruerant Edictis, quæ nunc contemnunt, & subditos suos, quicunq; ueterem adhuc cõprobant religionẽ nostram, antiquo Sacramentorum & Ceremoniarum ritu priuant, eoq; uti prohibent. Et quod longe insolentius est eo audaciæ processerunt aliqui in secta ista, ut Clarissimũ & Natalium antiquitate nobilissimum Principem, Illustrissimũ Brunsuicen. Ducem, Henricum, religione, fide, fœdere & obsequio, tum Maiestati tuæ, tum fratri tuo serenis: Regi nostro deuinctissimum, post uanos in eum euulgatos libellos famosos, armis repente arreptis, contra pacem publicam, per te Auguste inter Principes indictã, e finib⁹ proprijs eiecerint, terras q; et populos eius (quod ego quocunq; temporali aut corporali damno perniciosius reputo)

Seductores Principum.

puto) sectæ suę impias doctrinas & ordinationes recipere coegerunt.

Sed quod omnium insolentissimum est, ausi sunt isti Duo Collocutores in terras descendere Antiqui ac Nobilis Archiepiscopatus Coloniensis, ut ipsius Archiepiscopi (quem hypocrisi & uario persuasionum dolo nequissime circumuenerunt ac seduxerunt) nomine & presidio hæresibus suis, tā à Maiestate tua, quā à summo Pōtifice iam olim damnatis, imbuant omnes illius Archiepiscopatus populos. Quoniam uero nobilissimę Ciuitatis Coloniæ Agrippinæ Amplissimus Clerus, Celeberrima Vniuersitas, ac prudentissimus Grauissimusq; senatus, nefarijs eorum conatibus pia sollicitudine ac prouidentia resistunt, audent eos calumniosis diffamare libellis, nunc latine, nūc Teuthonice, adeoq; insolenter, ut minas quoq; adijcere nō uereantur, Senatui quidem a Principibus suis & ab Imperij ciuitatibus, quæ ipsorum adhęrent sectæ, Clero autē à filijs sacerdotum suorum, etsi nō uulgo, flagitiose tamē contra approbatas leges Canonesq; & consuetudines conceptorum. Et hæc faciunt in tuo pene conspectu. Inuictissime Imperator, dū tu uictoriosos in propinquo ducis exercitus, et terrorem atq; etiā timorem incutis uel potentissimo Frācorū Regi, supplicemq; ac pedibus tuis prostratum habes paulo ante florentissimum, tibiq; male rebellantem, multarum terrarum et Principatuum dominum, Ducem Cliuensem & Iuliacensem.

Insolētia Philippi, & Buceri.

Quæ est hæc obsecro tam cęca hæreticorum confidēcia? Arbitror equidem ista sic eis à Deo permitti, ut Mūdus tandem certo cognoscat, Maiestati tuæ, tanquam Religiosissimo Imperatori Ro. Ecclesiæ Aduocato & Hispaniarum Regi Catholico, religionem Christianam fidemq; Catholicam ita cordi esse, ut uindicaueris tandem post diuturnam longanimitatem in rebelles Ecclesiæ & Ro. 13.

Vindicandi necessitas.

sedis

ſedis Apoſtolicæ, memor officij tui, quod in Paulo legi-
tur, ne ſine cauſa gladium portes, Cum Dei ſis miniſter,
uindex in iram ei qui malum agit. An uero malum non
egerunt ſupra .xx. iam annos inceſſabili malicia & obſti
nata pertinacia, hæretici iſti? In tuo quidē Imperio maxi-
me, attamen & in externa regna uenena ſua tranſmi
ſerunt, ubi tot deſtructa aut ſaltem expulſis Mona-
chis ac Monialibus deſolata per eorum doctrinam ſunt
Monaſteria, in quibus Dei cultus & ſanctorum uenera-
tio in hymnis, canticis & orationibus, exercebatur die no
Aug. in Epiſto ctuq;. Vtinam ſupereſſet Maieſtati Tuę, tantum otij &
lis. 48. et. 50. temporis, ut quieta mente poſſis perlegere duas ſaltem S.
Auguſtini epiſtolas. Quarum unam ad Vincentium Do
natiſtam, alteram ad Bonifacium Comitem ſollicita cha-
ritate ſcripſit aduerſus eos qui Eccleſiam Dei ſcindunt.
Quoniam uero in tanto armorum ſtrepitu, totq; regnorū
& prouinciarum totiusq; Imperij procurandis et expediū
dis negocijs, prolixiori lectioni uacare non potes, refe-
ram hic breuiſſime unum duntaxat locum ex Epiſtola po
ſteriore. Ait Pſalmiſta, Et nunc reges intelligite, erudimi-
ni qui iudicatis terrā, Seruite Domino in timore, & exul-
Pſal. 2. tate ei cū tremore. Quomodo ergo (inquit Auguſtinus)
reges Domino ſeruiunt in timore, niſi ea quæ contra iuſ-
ſa domini fiunt, religioſa ſeueritate prohibendo atq; ple-
ctendo? Aliter. n. ſeruit quia homo eſt, aliter quia etiam &
rex eſt. Quia homo eſt, ſeruit ei uiuendo fideliter. Quia
uero etiam rex eſt, ſeruit ei, leges iuſta pręcipientes & con
traria prohibentes, conuenienti uigore ſanciendo. Hæc
Inobedientia Aug. Quæ in hoc recitaſſe uolo, non ſane q; uelim
circa Ceſ. E- Maieſtatē tuā, de negligentia reprędendere (quod abſit)
dicta. quam ſcio ſeueriſſime in edictis et receſſibus Imperialib9
alijsq; literis et mandatis contra hæreticos iſtos, leges et cō
ſtitutiones pie ac legitime poſuiſſe ac promulgaſſe, atq;
etiam

etiam maximam & temporis iacturam & sumptuum im-
pensam, propter pacandam in fide & religione Germaniã
pertulisse, sed ꝗ nouarum sectarum hominibus per hæc
indicare uelim, quantis sese onerent peccatis, dum plecten
da rebellione, tua contemnunt Edicta Imperialesq; leges,
tum antiquas tum recens ęditas. Quibus utiq; parere tenē
tur omni iure, tam diuino ꝗ̃ humano. Non solum (inquit Ro. 13.
Apostolus) propter iram, sed etiam propter conscientiã.
Nam & Princeps Apostolorum Petrus itidem nobis prę 1. Pet. 2.
cipit, dicens, Subiecti igitur estote omni humanæ Creatu
rę propter Deum, siue Regi quasi pręcellenti, siue Duci-
bus tanꝗ̃ ab eo missis.

Quisquis igitur non obedit pijs Regum aut Impera- *Contra Deum*
torum legibus, Deum offendit & conscientiam propriã. *& contra con*
Deum proculdubio offendunt hęretici isti, cuius Ecclesiã *scientiam.*
in sectas dilacerant contra charitatem, quæ finis est pręce-
pti (ut ait Apostolus) & à Christo unice mandata est, ubi 1. Timo. 1.
ait, Hoc est pręceptum meũ ut diligatis inuicem, sicut di-
lexi uos, Item. Mandatum nouum de uobis, ut diligatis
inuicem. Offendunt & conscientias suas, quæ intus eos Ioh. 13. et. 15.
accusant, & ipsius Lutheri (Patriarchę sui) sententiam au
ribus cordis inclamitant, Impium esse omne discidium Lut. In Gala.
Bohemorum, quodcunq; contra Ro. Ecclesiam fecerunt c. 6. Et in di-
eo ꝗ est contra charitatem, In qua omnes leges summan- sputa. Lipsica
tur, et summum ius diuinum est charitas. Quare inexcusa
biles sunt omnino. Ideo credere ipsis non possum, ꝗ ex
animo sic pro nouo Euangelio suo scribant et loquantur,
dum tam certo ac manifeste redarguat eos intus cor & cõ
scientia propria, Lutheriq; sui iudicium quod minime
ignorant, In quo igitur confidunt, qui tam audacter *Cõfidentia eo*
tua contemnũt Edicta Imperator, et discessionem à te pa- *rum.*
rãt, faciũtq; tã periculosã in Imperio diuisionẽ? In Princi-
pũ (ni fallor) suoꝝ ferocia, In ciuitatũ sibi adhęrẽtiũ opu

lentia. In populorum carnalium applausu, & in radice (ut
1. Thimot. 6. ait Paulus) omnium malorum quę est cupiditas, quia om
nes inuident Clero, & bona Ecclesiastica inuadere cu
piunt. Quorum permagnam partem iam pridem
rapuerunt ac dilapidauerunt, quæ sacrilegis nihilo fœlici-
us prosunt q̃ profuit aurum Tolosanum, ut in antiquo
est prouerbio. Quicquid igitur dicunt & scribunt modo
in Clerum Coloniensem, ex eadem est radice cupiditatis.
Sciunt.n. in tam amplo unius fœlicissimę ciuitatis huius
Clero (qui tam multa pręclara & antiquitus fundata Col
legia ac Monasteria legitimo iure ac titulo possidet) mul-
to plus diuitiarum & bonorum Ecclesiasticorum inueni-
ri posse, q̃ posset in omnibus aliis totius Archiepiscopat⁹
Clero, quem exterminare satagunt, reperiri.

Etenim si serio & ex animo sic scriberent ac loqueren-
Nō serio agūt pro fide sua. tur pro Lutheri Euangelio, & ita cordi esset eis noua sua
religio fidesq̧, sicut mihi cordi est (Dei gratia & benigni
tate) religio antiqua et Ecclesię fides, non tot annis permi
sissent, se frustra & me prouocari ad singulare certamen,
sub Iudicibus à Maiestate tua & Imperij Principibus ad
hoc deputandis, ineundum sub æquali uitę periculo mec.
Cur tam diu ad hoc tacent? Numquid de me id ignorant?
At sępius hoc scripsi in publicum ęditis libellis, atq̧ etiam
in faciem aperte dixi. Luthero quidem Vuormaciæ ante
annos. xxij. in conspectu & auribus multorum sibi tunc
adhęrētiū, Bucero autē Ratisponę p̄sentibus itidē Luthe-
ranis. Quomodo igit̃ credam eos serio et ex animo sic lo-
qui ac scribere pro noua fide sua, sicut ego loquor et scribo
ꝓ antiqua, ꝓ qua mallem mori aut quęuis subire seu exilia
seu supplicia corporis aut rerū damna q̃ ab ea deficere. Si
de ueritate suæ doctrinę ac fidei tam certi sunt apud semet
ipsos, q̃ ego sum ꝑ gratiā Christi de ueritate doctrinę et fi
dei, quā in Ecclesia didici, Cur nō audent ut ego? Cur nul
lus

ꝑ eorꝫ dicit cū Paulo (de q̃ alias tātopere iactitāt) In quo quis audet, audeo et ego: Hui uiri fortes, audete adhuc, nō detrecto uel senex iam certamen. Certamen inquam, non quale uobis placet, in quo uane (ut hactenus) ingeniū aut eruditionē eloquentiāue aut memoriā ostentetis per uerbosum colloquium aut disputationem sub saluo cōductu & uitę rerumq; uestrarum securitate, sed quale requirit nuda & bene sibi constans & conscia ueritas, In qua equidē unice cōfido. Quia scriptū est. Magna est ueritas et fortior prę omnibus, et sup omnia uincit ueritas. Itē ueritas dñi manet in ęternū. Et Christus ipse in sæcula bñdictus, Ego (inquit) sum uia ueritas et uita. Hanc ego firmiter credo in sola Ecclesia, et in nulla ꝓrsus secta pure doceri et haberi. Qñ quidē Paulus Ecclesiā domū Dei, colūnā et basim ueritatis esse nō uane atteſtať. In hac una cōfido, non in uiribus meis ullis. Noui ꝓbe, q̃ curta mihi sit domi supellex, si qs de ingēio, eruditiōe, eloquētia, mēoria, aut linguarꝫ peritia petat certare mecū, illi facile cedā ultro, absq; omni certamine, Quoniā de sola ueritate fidei nrę mihi cura est et confidentia, De ingenij aut naturę dotibus et ornamentis uane ostentandis cū nullo certare intēdo. Pro ueritatis autē honore & pro fide Ecclesiæ, quam à maioribus nostris & à sanctis patribus didici, & mori ausim, & cum quolibet absq; saluo conductu sub certis & ordinate deputatis iudicib⁹ experiri, & ad mortem usq; certare non recuso. Idq; dico & scribo, Imperator optime, bona conscientia, ex solo ueritatis & fidei Catholicę zelo, nullius personę sed tantū uitiorꝫ et hęresum odio accensus. Vellē potius lucrari oēs q̃ perdere unū, uellē oēs esse mecū unū in Christo, uellem omni sublato schismate manere indiscissam Christi tunicam, & salua charitate uinculoq; pacis sponsam eius pulchra diuersorum statuum Deo seruientium uarietate amictam et ornatam, atq; ut castrorum aciem ordinatam.

[Margin notes: 2 Cor. 11. — Pro ueritate seruio certandum est. — 3. Esdræ. 3. — Psal. 116. — Ioh. 14. — 1. Timoth. 3. — Zelus Charitatis.]

Quis det, ô Cæsar, hanc mentem pulchris & excellẽtibus ingenijs multorum, qui nũc cũ æterno animarũ suarũ periculo pro sectarũ suarum defensione contra Ecclesiæ unitatem concionantur et scribũt: ut suis donis et ornamẽtis quę à Deo acceperũt, bene uti mallẽt ad ædificationem quàm ad subuersionẽ populorũ, atq; ad augendam potius & dilatandã Christi Ecclesiam, quę nõ nisi una est, quàm ad distrahendũ membra eius, quę bene unita erant, in diuersas sectas. Nũquid in Ecclesia locum et honorẽ habere nõ possent, si pacifice agere atq; docere uelint? Possent utiq;, si redire uelint: nũquid mater Ecclesia gremiũ suum clauderet eis? Nec dubito de tua Auguste bonitate et clemẽtia, qua omnes iniurias & rebelliones condonaturus esses, si ab animositate et contentionis pertinacia desisterent, paceq; in Ecclesia habere uellent.

Odium eorum in Papam. Sed ô Deus bone tantum est plurimorum in his sectis odium in Papam, in Cardinales & Episcopos, in Prælatos Monachosq; & Moniales atq; adeo in uniuersum Clerum Catholicum, ut mallent cum Turcis quàm cum Papa & Ecclesiasticis habere pacem et concordiã. Vnde fit, ut in graue Germaniæ periculum Certamq; perniciem Imperij conniueant hodie plurimi, sæuiente per totum Vngariæ regnum Turcarum Tyranno, nulla pręstantes serenissimo Regi Romanorum Domino suo auxilia, ad resistendum illius immanitati, sicut præstant Principes & status Catholici. Qua igitur ratione queant tales animi, tam amaro accensi uel sine causa odio, & ab omni pacis & concordiæ studio auersi, sanari, pacari aut reconciliari? Nos certe nec possumus nec debemus propter eos dimitere uinculum pacis & Ecclesiæ unitatem fidemq; sanctorum patrum. Nec patet ulla concordiæ uia nisi unde exierunt reuertantur, & unũ sint nobiscum in uinculo pacis, sicut requirit mens & præceptum

tum Domini nostri Iesu Christi.

Abusuum enim prętextus non excusabit eos apud Iudicem uiuorum & mortuorũ in illa die. Quandoquidem Lutherus ipse dixit, non esse abscedendũ propter abusus. Immo quãto peius habeat stat⁹ Ecclesię, tanto magis accurrendũ esse, eo quod separatione nihil corrigatur. Si ergo nõ sunt excusabiles propter ueros abusus, qui in Ecclesia reperiuntur, minime profecto excusari poterunt propter ritus pios & antiquos, qui in Ecclesia semper fuerũt, ut Missæ sacrificium, Chrismatis consecratio & usus, septem sacramentorũ distinctio, sanctorum inuocatio, aliijq; in cultu Dei ritus complures, quos illi falso abusus dicunt, & impie abolent ubicunq; possunt, Hæc Imperator in genere dicta & premissa sint, ut per ea citius expeditiusq; absoluatur causa specialis, propter quam hanc scribo Philippicam. Quod si memoriter retineret Maiestas tua quæ in Quinta præmissa sunt Philippica, statim uideres, non longa hic opus esse nobis defensione. Ad ea enim puncta, de quibus pro Bucero hic contendit aduersus Clerum & Vniuersitatem Coloniensem Philippus, responsum est in Philippica Quinta. In qua & astutia eius & uersipellis malitia, qua in argumentando & rhetoricando aduersus nos utitur, á me aliquatenus detecta est. Subrutum est item commune quidem sed falsum eorum fundamentũ, quo pręsumunt oĩa ex Ecclesia et cultu diuino tollere & abolere, quę in sacris literis non sunt expressa aut præcepta. Quod si mendacia, quæ hic interserit, confutauerimus, ualde parum supererit, de quo responsio requiri debeat. Mox igitur á mendacijs incipit, per mendacia quoq; prosequitur orationis suæ contextum ad finem usq;, ut nihil ei securé credere queant Catholici: insignis enim est impostor in hypocrisi & malicia sua, dum sub pacis & concordiæ simulatione captat lectoris beneuolen-

Abusuum prætextus

Luth. super Galat. c. 6. et in declaratione artis.

Solutiones in Philippica 5.

tiam, ut incautum ex Ecclesiæ unitate & concordia trahat in sectarum diuisionem & discordiam. Exordiũ itaque responsionis eius multa cõplectitur mendacia. Quorum primũ (ut breuitatis gratia è singulis multa pro uno computem ac uelut in aceruum colligam) est istud. Ait in libro contra Bucerum à deputatis ędito esse scurrilitatem, petulantiamq́ & spurciciẽ sermonis, atq́ obscœna uerba ex Plauti comedijs excerpta. Sed nullum profert interim uerbum ex libro, quod lectori tale uideatur, quale ipse totum dicit sermonem. Ait secundo, multos esse Coloniç & inter ciues & in Academia atq́ etiam in Clero prudentes & graues uiros, qui illius libri scurrilitatẽ detestantur. At ne unum quidem producit aut commemorat ex tribus istis ordinibus, qui librum detestetur. Quinimmo mox in alio libello, qui Teuthonice ęditus est, cõquerun tur ambo. Philippus scilicet & Bucerus, tum contra Academiam & Clerum, tum contra senatum quoq́, quod suis ad Archiepiscopũ suum literis iniuriosas scripserint calumnias aduersus utrumq́. Longe igitur uerius est, à grauibus & prudentibus uiris illorum trium ordinum unanimiter detestari & impia utriusq́ scripta, & nefarios eorum conatus ad conturbandum & subuertendum quietum & fidelem sanctæ ciuitatis populum, quam detestari ab eis librum, in quo fraudes & errores Buceri deteguntur.

Mendaciorum aceruus in præfatione.

Ait tertio, quod sciant deputati, principem honestissima cura adfici recte constituendarum Ecclesiarum. Sed quomodo id scirent, quum uiderent in facto contrarium? Honestissimam quidem curã præ se ferebat nomen eius in magno libro, qui ante Quinquennium æditus, inscriptus est hoc titulo, CANONES Concilij prouincialis Coloniensis. Sed nunc per hos fidei Ecclesiasticæq́ disciplinæ corruptores oĩa, de quibus honeste ac pie admonet ille liber, in contrariũ uertere conatur. Quis igitur credat,

Curá recte cõstituendarum Ecclesiarum.

dat,hunc Principem meliorem habere curam recte consti tuendarum Ecclesiarum, quam habuerunt sancti praedecessores eius Seuerinus, Cunibertus, Anno, Herebertus & alij, qui ut boni ac fideles serui Dei ouiumque Christi Pastores, uerba praedicationis & exemplo uitae docuerunt populū iter & dogmata salutis, & ad amplificandam laudē Dei fundauerunt tot Ecclesias & Monasteria, quae in hodiernum usque diem & in laude Dei perdurant, & pijs in ea intuentibus iucundū aedificiorum magnificentia praebent aspectū. Quid obsecro ijs simile fecit unquam Princeps iste?

Ait Quarto Philippus, quod meminerint deputati, Bucerum offerre se ad explorationē & probationē iuxta Ecclesiasticam consuetudinē. At longe uerius est, oblationē eius plenā fuisse fraudis & insidiarum, ut disputationis occasionē nactus, è populo simplices deciperet, medios cū scrupulo dimitteret, atque ita inter Clerū & populum discordiā seminaret. Quemadmodū prudenter de haereticorum astu nos admonet doctus & antiquus autor Tertullianus, suadens omnino, ne ad ullam scripturarum disputationē admittantur haeretici. Hanc Buceri fraudē facile deprehenderūt ex uerbis eius deputati, totusque Clerus & Vniuersitas. Quoniā diserte scripsit, se corā satisfacturum praesentibus idoneis auditoribus & testibus, adducturus scilicet erat secū ex Aulicis Principis Lutheranissimos quosque, qui fastu & superbia sibi prae caeteris autoritatē arrogantes, clamoso assensu testarent̄ uicisse Bucerum. Tales quippe idoneos auditores et testes reputat Bucerus. Quid est aūt causae, quod in Teuthonico postea libello suo nō amplius petunt explorationē aut disputationē ambo, sicut petijt antea Bucerus? Nunquid unus fortior est duobus, aut plus ualet unus quam ualēt duo simul? Nō certe, sed deterriti sunt ambo per librū deputatorum. In quo sub aequis armis et cōditionibus offertur eis disputatio. Ipsi autē aequas cōditiōes ferre nō possunt,

Oblatio Buceri ad disputandum.

Tertull. de praescrip. haereti.

fraudi-

fraudibus & præoccupationibus semper & ubiq; intenti.

Calumniæ in deputatos. Ait Quinto Philippus. Quorsum attinebat tantū conuiciorū, quantum nō una nauis uehat, dicere aduersus doctrinā uerā, aduersus tot Ecclesias Dei, aduersus Respub. quæ præbent hospitiū Ecclesijs? Respondeo breuiter, hoc totū nihil aliud esse q̄ impudentium aceruū mendaciorū. Nulla enim prorsus sunt in deputatorum libro conuicia aduersus doctrinam ueram, neq; aduersus Ecclesias Dei, neq; aduersus Respub. quæ prebent hospitium Ecclesijs. Proferat, si potest, uel unū Philippus, ut uideamus quam uera loquatur & scribat. Scripserunt quidem deputati illi aduersus falsam & erroneā Buceri complicumq; eius doctrinam, sed grauiter & modeste, non scurriliter neq; conuiciose. Non contra Ecclesias Dei, sed contra sectas odibiles Deo & omnibus sanctis eius. Nō contra Respub. quæ Ecclesias fouent, sed contra eas quæ sacrilegas eleemosynas per rapinam ex Ecclesiarum bonis, non de bonis suis, facere præsumūt, contra illud scripturæ. Honora Deum de tua substantia, & de primitijs frugum tuarum da pauperibus. Et contra illud prophetæ, frange esurienti panē tuum, & egenos uagosq; induc in domum tuam. Ecce ubiq; ait de tuo, non de alieno, non de Ecclesiarum bonis.

Prouerb. 3.
Esa. 58.

Ait sexto Philippus iste, se tantum litigare cum autoribus illius insulsi & maledici scripti, nec uelle quidq̄ detractum de urbis celeberrimæ splendore, de dignitate Academiæ & uirorum bonorū in Clero. Sed fraudulenta est hæc beneuolentiæ captatio, non ex animo, sed per insidiosam hypocrisim dicta, ut sic alliciat in sui fauorem saltem aliquos ex tribus istis uirorū ordinibus. Quorum nulli pepercit paulo post in Teuthonico scripto suo ad ipsorum Archiepiscopum. Quoties enim in eo Rectoris Academiæ querelam dicit esse crudelem & mendacem criminationem? Nonne conuiciatur aperte in omnes qui in Re-

Conuicia Philippi in Colonienses.

ctoris

ctoris scriptum consenserunt, dicens eos esse manifestos blasphæmatores Dei, promotores ac defensores manifestæ & immanis Idololatriæ? Et si dijs placet, pmittit se eos de tantis sceleribus conuincere. Ad græcas scilicet Kalendas. Non est namq; infamis hæc uulpecula digna aut idonea, tam honestos uiros in ius uocare: tantum abest, ut legitime possit eos de ullo crimine accusare aut conuincere.

Incusat & senatus literas, tanq; calumniosas aduersus ipsorum doctrinam, uelut parituram tumultus & seditiones. Quasi uero id falsum sit, cum nihil possit uerius dici. Quis enim unq; maiores aut crebriores in Germania tumultus & seditiones cognouit, legit, audiuitue, q; uidimus in ea his xxv. annis, postq; Lutheri erupit & in sectã creuit inconstans & impia doctrina? Merum est igitur mendacium & dolus, quod in hac præfatione sua ait ista uulpecula, se nihil uelle detractum uel de urbis splendore, uel de Academiæ & Cleri dignitate. Cum in utroq; libello suo calumniosissime imputet eis manifestam Idololatriã & impios cultus. In quibus utiq; cõsistere nequit uel splendor ciuitatis, uel dignitas Academiæ & Cleri. Quod igitur ait, se tantum litigare cũ autoribus scripti, fraus est & mendacium. Non enim tam cæcus esse potuit aut supinus, ut non uiderit hæc ultima illius scripti uerba. Ita censuerunt deputati ab Vniuersitate & Clero secundario Coloniensi, Deputantiũ & suo nomine. Nõ igitur in deputatos tantum, sed etiam in deputantes dicit & scribit quicquid iniuriarum & calumniarũ in utroq; profert libello suo conuiciator iste procacissimus.

Ait septimo. Autor libri, quisquis est, in peroratiõe ait, nostros dicere blasphæmias aduersus spiritum sanctum. Hanc tam diram (inquit) criminationem præterire impietas esset. Multa Eckius, Pygius & alij multi rabiose scripserunt, sed nescio, an quisq; hac uerborum atrocita-

Blasphæmi in spiritum sanctum.

tate uti ausus sit. Respondeo igitur (ait idem) nos uere & ex animo cupere illustrare gloriã Dei & filij eius &c. Sed hic mendaciorum fasciculus iam pridem dissolutus est. Non enim soli Colonienses, sed & alij non pauci manifeste imputauerunt hoc crimen, blasphæmias inq; in spiritũ sanctum, non Luthero solum, sed etiam ipsi Philippo. E quorum numero non ausim subtrahere meipsum. Hęc enim sunt uerba mea in Philippica Quinta. Spiritus em̃ illc non solum in Apostolis fuit, sed etiam in successoribus eorum locutus est, & iugiter in Ecclesia in hanc usque diem permansit, & permanet ex hoc nunc & usq; in æternum. Ioh. 14. In ea igitur loquit̃ adhuc hodie, tanq̃ in sede & fundamento ueritatis, & docet ipsam omnem ueritatem. Ioh. 16. Vnde sequitur, ut hi qui Ecclesię de fide articulos & decreta contemnunt, impij sint & blasphæmi, non solum in ipsam sacratissimam sponsam Christi, sed etiam in ipsum Christum & in spiritum sanctũ, qui in ea sunt iugit̃. Nec sunt in ea ociosi, pigri, aut dormiẽtes, sed protegũt & docent eam, & operantur in ea salutem fidelium. Quid aũt ad ista respondit Philippus? Nunquid ea non uidit? Vidit utiq; Vuormaciæ, ubi ea à me ipso, ut petebat, recepit. Sint rabiose scripta, ut hic dicit, sunt tamen uera, utpote ab ipsamet ueritate in Euangelio probata.

In Philippica 5. H. 4.

Neq; credere possum, hũc Philippũ sociosq; eius, ex animo cupere illustrare gloriã Dei & filij eius. Quia nõ quęrunt unionẽ & concordiã Ecclesiæ, q̃ est sponsa filij Dei, sed diuisionẽ & discordiam aduersus eã ubiq; moliunt̃. Illustratur aũt gloria Dei & filij eius, nõ per diuisionẽ & discordiã, sed per unionẽ & concordiam, quando multitudinis credentiũ est cor unũ & anima una. Ait em̃ sapiens. In multitudine populi dignitas regis, et in paucitate plebis ignominia Principis. Hoc probe sciens Paulus Apostolus, ubiq; suadet unitatẽ, & detestatur schismata & offendicula,

Illustrare gloriam Dei.

Act. 4.

Prouerb. 14.

dicula,quibus cõturbatur & dissipatur unitas. Iubet itaq; Romanos declinare ab ijs qui dissensiones & offendicula faciūt. Et Corinthios obsecrat per nomen Dñi nostri Iesu Chr̄i, ut idipsum dicant oēs, & non sint in eis schismata. Sciebat em̄ Christū ipsum pro credentibus in se rogasse patrem, ut sint unum, sicut ipse & pater unum sunt. Non illustrant igitur sed obscurant gloriā Dei, autores & incēsores isti diuisionum & discordiarum in uno populo Dei.

Rom. 16. *1. Corinth. 1.* *Iohan. 17.*

Longum foret, Imperator, oīa Rhetoris huius mendacia, quę in ꝓlixa gloriatione sua deinceps subiūgit, singulatim enumerare atq; cōfutare. Qualia sunt (uerbi gratia) hęc. Sequimur sententias synodorꝫ ueterū quæ probant̄. Nicenę, Byzantinę, Ephesinæ, Chalcedonensis. Itē. Hoc genus doctrinę, q̄ profitent̄ Ecclesię nostrę, uere consensus est Ecclesię Catholicę Christi, Item. Anteq̄ hęc causa mota est, magna ubiq; fuit caligo etc. Dicat ergo Philipp⁹ nobis, si potest, ubi nam fuerit Catholica Ecclesia, anteq̄ hęc causa de Lutheri doctrina moueret̄, si ubiq; magna erat caligo. Catholica.n. Ecclesia in lumine est, nō in caligine. Quia Chr̄us, qui est lux uera & lux mūdi, in ea est usq; ad consumationē sęculi. Ego, inqt, lux in mundū ueni, ut omnis q̄ credit in me, in tenebris non maneat. Quō igitur ante Lutheri doctrinā magna ubiq; fuit caligo? Nunc q̄d in Chr̄um antea ꝑ M. D. annos nemo credebat? o Philautiā cęcam, iactantiamq; uanā & impiā. Catholica. n. Ecclesia Ciuitas Dei est. De qua Dauid ait, Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Hęc aūt ciuitas nō est in caligine aut sub modio absconsa (sicut de ea mentiunt̄ Lutherani) sed supra montē posita, ut oēs eam uideāt qui in Christū credūt, & uocē illius audiant, Qui aūt audire noluerint, sint nobis iuxta Chr̄i sententiā, sicut Ethnici et publicani. Quare nihil aliud est ista ꝓlixa Philippi de Ecclesijs et dogmatibus suis iactātia, q̄ longus mēdaciorꝫ funis, cuius nullus est finis.

Mendax gloriatio. *Ioh. 1. & 8.* *Matth. ultim.* *Ioh. 12.* *Psalm. 86.* *Matth. 5.* *Longus mendaciorū funis.*

finis, Qua rogo fronte dicit nunc, sequi se ueterum synodorum sententias, ut Nicenę, Ephesinę &c. Cum ante annos xxij. in libello suo de locis communibus ita aduersus Nicenam scripserit. Nihil perinde pietati aduersatur atque hominum doctrina. In Synodo Nicena constitutae sunt quaedam poenitentiae formae, non pronuncio, quo spiritu decreuerint patres, at uideo bonā Euangelij partē, immo uim germanam Euangelij, obscuratam esse ea traditione. Nam inde primum natae sunt satisfactiones, obscurata gratia est, & quod Euangelium fidei tribuit, coeptum est satisfactionibus tribui. Quo quid est & impium magis & perniciosius? Et his malis certe occasionem dedit Nicena synodus. Haec ibi Philippus. qui & alibi in plerisque isti contrarius fuit synodo, quam se hic sequi mentitur. Sed piget iam pudetque me, Imperator, de mendacijs eius tam multa ad Maiestatem tuam scribere, quamque propter simpliciores, quos decipere sic nititur, id necessarium aliquatenus esse uisum est. Dimissis itaque ac praeteritis omnibus alijs quae plurima loquaciter subiungit, unum adhuc refellendum necessario esse arbitror, quod non hic modo sed in Augustensi quoque Confessione & Apologia sua, tam falso quam glorianter iactitat, atque per istud complures decepit, & decipere adhuc non desistit.

Noua dogmata sectarum. Nulla (inquit) noua dogmata gignimus, sed ueterem & puram Ecclesiae doctrinam, quantum Deus concedit, illustrare studemus. Item. Nullum Ecclesiae dogma conuellimus, sed recentes errores, qui in Ecclesiam contra Euangelium & purioris Ecclesiae iudicia irrepserunt, taxamus &c. Dicat igitur nobis Philippus hic, si potest, ubi & quando in ueteri Ecclesiae doctrina reiecta sit missa, abolitum altaris sacrificiū, negata transmutatio substantię panis & uini in corpus & sanguinē Christi, irrisum Chrisma & sacrū oleū, damnata sanctorum inuocatio

& pro

& pro fidelibus defunctis oratio uiuorum, & id genus plurima, quæ in nouis nunc sectis damnantur & abolentur. Quot, rogo, sunt Ecclesiæ dogmata In Canonibus Apostolorum, & in decretalibus epistolis uetustissimorum Martyrum & Pontificum Ro. Ecclesiæ, In libris, item & Epistolis Dionisij & Ignatij, aliorumq; post eos Martyrum & Confessorum, quæ conuellere nituntur audaces isti Ecclesiæ oppugnatores? Quot ex ijs allegant de Primatu Petri & Ro. Pontificum aduersus istos Papæmastigas, clarissimę memorię uiri, Eckius & Pygius, ille per tres, iste per sex bene prolixos libros? *Dogmata Ecclesiæ.*

Ego breuitatis gratia unicum hic recitabo Ecclesiæ dogma, omnium (ni fallor) & sanctissimum & uetustissimum, quod sanctus Papa & Martyr Christi Alexander primus cõmemorat, in hæc sane uerba. In sacramentorũ (inquit) oblationibus, quæ inter Missarum solēnia domino offeruntur, passio Domini miscenda est, ut eius, cuius corpus & sanguis conficit, passio celebretur. Et post pauca. Crimina.n, (ait) atq; peccata, oblatis his Domino sacrificijs delentur, Idcirco & passio eius in his cõmemorãda est, qua redempti sumus, & sæpius recitanda, atq; hæc domino offerenda. Talibus hostijs delectabitur & placabitur dominus, & peccata dimittet ingentia. Nihil.n. in sacrificijs maius esse potest q̃ Corpus & sanguis Christi. Nec ulla oblatio hac potior est, sed hæc omnes pręcellit, Quæ pura conscientia Domino offerenda est, & pura mẽte sumenda, atq; ab omnibus ueneranda. Et sicut potior est cæteris, ita potius excoli ac uenerari debet. Hæc ille. Nunc autem nihil detestabilius est hac oblatione apud sectas has nouas: Falsissimũ est igitur, nullum Ecclesię dogma ab eis conuelli. *Missæ sacrificium omnibus maius.*

Nec excusari uere possunt, q̃ dicunt se huiusmodi rixas et discordias aduersum nos concitare, ad corrigenda *Inexcusabilis superbia Phil.*

uiciosas & recentes leges Ecclesiasticas, ad abolendos abu sus, ad tollendam ex Ecclesia Idololatriam et Idolomaniã, Ipsi .n. per dissensionis spiritum seducti praue iudicant, & incurrunt in illam prophetæ maledictionem & uę, ubi ait

Esa. 5. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum, Væ qui sapientes estis in oculis uestris & coram uobismet ipsis prudentes. Nisi.n. à spũ superbię decepti, et scientia inaniter inflati, plus saperent ꝙ oportet, & sese cæteris, etiam antiquis & sanctis patribus doctiores reputarent, facile cogitare ac uidere possent, longe credibilius esse, ꝙ ipsi errare potius possint, ut homines, ꝙ ꝙ Ecclesia, quæ columna & basis est ueritatis, per tot secula errauerit, & à spiritu ueritatis tam diu destituta ac derelicta fuerit.

Erraruntsæpe Luth. et Phil. Neꝗ uero negare possunt, se aliquãdo errasse, & mutasse sententiam, non eam solũ, in qua consentiebant nobiscum, dum adhuc filij essent Ecclesiæ, sed etiam illam, in qua maxime, à nobis dissentire cœperunt, quando iam ex professo erant Papæ & Rom. Ecclesiæ rebelles & hostes. Quã multa.n. scripserũt, Lutherus in assertione.xli. articulorũ, Philippus in Didymo suo, & in locis comunibus, atꝗ etiam in annotationibus suis in Paulum, & Buccerus in Mattheũ & alibi, de quibus nũc erubescũt si qñ eis obijciũ

Septiceps. tur? Quid aliud facit septiceps Lutherus, ꝙ quod recitando persæpe mutatam à se sententiam sibiꝗ ipsi contradicendo, dum aliud stans, aliud sedens dicit aut scribit, se in plerisꝗ errasse fatetur? Quam diuersæ sunt sententiæ Philippi super unam Pauli ad Romanos epistolam in prioribus annotationibus & in posteriori comentario? In locis item comunibus ab ipso æditis diuerso tempore? Nõne palam summa cũ impudentia negare ausus est, priores

annota

annotationes esse suas, quas tum publice in scholis docuerat, quasque Lutherus in præfatiōe omnibus omniū in Paulum commentarijs prętulerat? Quid dicam de Bucero, qui ut leuissimus transfuga, nunc Lutheri, nunc Zuinglij partes sententiasque contrarias defendit? Nonne Luthero Marpurgi in faciem restitit? Nonne Lutherus eum ut falsarium publice traduxit? O bellos Ecclesiæ reformatores, & gloriæ Dei (ut impudentissime iactitant) illustratores, qui neque in bono neque in malo sibi perpetuo cōstare nouerunt, quauis arundine in contraria mobiliores, Quid eis secure credere possimus? Aut quid ipsi utiliter per tam sediciosa schismata rixosasque discordias & sacrilegas templorum ac Monasteriorū direptiones corrigere queant? *Constans Ecclesiæ Doctrina.*

Audiant igitur, quid de ipsis & de quibuslibet schismaticis atque hęreticis censeat S. Martyr & Episcopus Irenęus. Prędicatio (inquit) Ecclesię undique cōnstans & ęqualiter perseuerans, testimoniū habet à prophetis et ab Apostolis, et ab oībus discipulis, quemadmodū ostendimus per initia et medietates et finē et per uniuersam Dei dispositionē, et eā quę secūdū salutē hominis est solidā, operationē quę est in fide nr̄a, quā pręceptā ab Ecclesia custodimus. *Irenæus lib. 3. c. 41.* Qui autem ad Ecclesiā nō concurrunt, semet ipsos fraudant à uita per sententiam malam & operationem pessimam, Effodiunt sibi lacus detritos de fossis terrenis, & de cœno putridā bibunt aquam, effugientes fidem Ecclesiæ ne traducantur, reijcientes uero spiritum, ut non erudiantur, Vbi .n. Ecclesia, ibi et spiritus, et ubi spiritus Dei, illic Ecclesia & omnis gratia, spiritus autem ueritas. Illi uero alienati à ueritate, digne in omni uoluntantur errore, fluctuati ab eo, aliter atque aliter p̄ tēpora de eisdē sentientes, et nūque sciētiā stabilē habētes, sophistę uerborū magis uolentes esse q̄ discipuli ueritatis, Nō .n. fundati sunt sup̄ uiuā petrā, sed sup̄ harenē habētē in semetipsa lapides multos.

Et

Idem.lib.4.c. 62. Et rursus in alio loco, Iudicabit (inquit) et eos qui schismata operantur. Qui sunt immanes, non habentes Dei dilectionem, suamq; utilitatem potius consyderantes quam unitatem Ecclesiæ. Et propter modicas & quaslibet causas magnum & gloriosum corpus Christi conscindunt & diuidunt, & quantum in ipsis est interficiunt, pacem loquentes & bellum operantes, uere liquantes culicem, & camelũ transglutientes. Nulla.n. ab eis tanta potest fieri correptio, quanta est schismatis pernicies. Hæc Irenęus.

Admonitio ad pœnitentiam. Quæ Bucero & Philippo hinc dicta ac recitata esse uolo, non insultandi causa, sed condolendi potius & pie admonendi gratia, ut memores sint unde exciderint, quantumq; mali per annos iam .xxiij. & supra perpetrauerint schismate suo, agantq; pœnitentiam, timētes & corde percipientes illud Apostoli ad Romanos. (Apoc. 2.) An (inquit) diuitias bonitatis & patientię & longanimitatis Dei contemnis? (Rom. 2.) Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum aut duriciam tuam & impœnitēs cor, thesaurizas tibi iram in die irę & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet unicuiq; secundum opera eius. His quidem qui secundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & in corruptionem quærentibus uitam æternam. His aut qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt ueritati, credunt aut iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum. Hæc Paulus, quibus consonat illud Augustini, quod diuina dictat iustitia, Nullum bonum irremuneratum, & nullum malum impunitum remanebit.

DE

DE POENITENTIA.

POst longam præfationem, qua ſuis fauorem, nobis odium parere ſatagit Philippus, cõuertit ſe ad diſputandum ſuper quibuſdam articulis controuerſis, quorum primus eſt de pœnitentia. De qua ſane ipſius diſputatiõe, ſi tollas mendaces de ſuorum doctrina gloriationes & falſas in nos Catholicos criminationes, quid dicit amplius, rogo, quod notatu dignum uideri queat? At de ea reſpondi ei antea in Philippica Quinta, ubi declaraui, pœnã peccati, quæ ſatisfactione luitur, poſt culpæ remiſſionem requiri. Attuli exemplũ de peccato Adæ & Euæ, quod fuit actuale. Moxque ſubiunxi de peccato Originali, cuius culpa per Baptiſmum deletur, pœna autẽ eius luenda nobis eſt uarijs afflictionibus & corruptæ naturæ infirmitatib. ipſa denique morte, Vnde ſic ibi concluſi. Impie igitur & irrationabiliter negant Lutherani, iniungendam eſſe pœnã & ſatisfactionem pro peccatis. Quandoquidem Originale quoque peccatum (quod tamen non proprio ſed alieno delicto contraximus) poſt dimiſſam in baptiſmo culpam, impunitũ non permanet. Ergo multo magis ea peccata, quæ proprio delicto perpetramus, pœnam et ſatisfactionem aliquam requirunt. Quid uero reſpondit ad iſta Philippus? Obmutuit hactenus, reſpondeat nunc ſi poteſt, non mihi modo, ſed omnibus Eccleſiæ doctoribus, tam antiquis quam recentibus, qui multis libris pœnitentiæ opera, quæ ſatisfactiones dicuntur, populum Dei ex Euãgelio alijsque ſcripturis, ſolide ac copioſe docuerũt. De quibus & in Concilijs etiam uetuſtiſſimis uaria habentur decreta. Libri item Pœnitentiales Iſidori, Theodori, Bonifacij, Rabani &c.

H iiij.

Pœna peccati ſatisfactio eſt.

Reſpondeant ſaltẽ ambo ſeductores iſti, ſi poſſunt, ad ea, quæ recens quidem ſed profunde ac ſolide doctus autor D.

Apologia D. Io. Eckij.

D

Apologia D. Io. Eckij. tor D. Iohan. Eckius, de pœnitentia aduersus eorum errores copiose scripsit cum in Quatuor libris de pœnitentia, tum in Homelijs complurimis, & in Enchiridio, tum deniq; in Apologia sua nouissima, ubi discutit scripta eorũ, quæ Maiestati tuæ, Cæsar, Ratisponę tradiderant, tũ de Confessione, tum de satisfactione, Certe quisquis eam Apologiam sana mente perlegerit, clarissime cognoscet, q̃ graues & impij sint errores istorum de pœnitentia, qui populo carnali placẽtia prædicantes, animas diabolo addicunt, dum docent non esse necessariam peccatorũ commemorationẽ in confessione, neq; satisfactionem in opere, sed fide remitti mox omnem culpam et pœnam. Recte quidem dicit hic Philippus. Nihil utilius esse, q̃ in Ecclesia sæpe & grauiter disserere de uniuersa pœnitẽtia, Quod autem mox subiungit, id à suis sedulo fieri, Hoc insigne est mendacium, reipsa sic notum omnibus qui sciũt quõ confitentur & pœnitentiam agunt Lutherani, ut uerborum reprehensione non sit opus.

Absurdissima Lutheri doctrina de pœnitentia. Arbitror equidẽ, nullos unq; fuisse in toto mundo hæreticos, qui absurdiora et perniciosiora de pœnitẽtia dogmata docuerunt q̃ docent Lutherani. Quod ut Maiestas tua, Imperator, credat ac mãifeste uideat, referã hic è multis pauca eorũ dogmata. Eteni lutheri dogmata sunt ista.

Luth. in assertione art. 5. 6. & 8. I Tres esse partes pœnitẽtiæ, Contritionem, Confessionem, Satisfactionem, nõ est fundatum in sacra scriptura, nec in antiquis sanctis doctoribus.

II Contritio, quæ paratur per discussionem, collectionẽ & detestationem, peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animę suæ, ponderando peccatorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & acquisitionem æternæ damnationis, Hæc contritio facit hypocritam, immo magis peccatorẽ.

III Nullo modo præsumas cõfiteri uenialia peccata, sed

nec omnia

nec omnia mortalia, quia impossibile est ut omnia morta lia cognoscas, Vnde & in primitiua Ecclesia solum manifeste mortalia confitebantur. Hi tres articuli atque plures alij de pœnitentia egregie cōfutati sunt ab Episcopo Rosfensi in Anglia, quo uiro nihil fuit sanctius aut eruditius æuo nostro.

IIII Fidele consilium meum est, ut homo Christianus tēpore Quadragesimæ & Paschatis nō confiteatur, nec ad sacramentū accedat, quia hoc præcepit hō, Papa scilicet. *Luth. in lib. de confess. ad frā.*

V Omnia opera nostra, quæ ideo fiunt, ad agendā pœnitentiam pro peccatis, atque ad effugiendam mortem, ea omnia blasphæma sunt, quia blasphæmant Deum, & uituperant sacrificium quod Christus peregit, eiusque sanguinem. *Luth. de abominatione Canonis Missæ.*

VI Erga Deū nullis operibus sed nuda indigemus fide. Debemus enim cum solo Isaac uenire, hoc est, cum fide: seruos et asinos, hoc est opera, deorsum dimittere oportet. *Luthe. in sermo. de piscatura Petri.*

VII Vera pœnitentia hęc est, quando homo non diuisim & mendicatim pœnitet de peccatis actualibus, nec disputat aut discernit, quidnam sit aut nō sit peccatum, sed omnia in unum tradit cumulum, dicens, omnia quæ agimus mera esse peccata. Quid opus est longa inquisitione aut distinctione? Hinc tunc sequitur nuda et certa desperatio in omnibus quę sumus, cogitamus, loquimur et facimus. *Luth. in articulis concilio proponendis.* Quemadmodū & alibi docuit, oīa opera nostra bona etiā optime facta esse peccata, & quidem mortalia secundum Dei iustitiam, uenialia autem secundum misericordiam. *Luth. in asserī art. 32.*

Hæc & id genus multa Lutherus, errorum & scandalorum plena. Quibus haud meliora docent Philippus & Bucerus, quantumuis sublimiter uehant suam de pœnitentia doctrinam. Quorum uerba breuiter referri non possunt omnia quæ iuste repræhendi queant. *Error Philip. de pœnitentia.*

Vnius libelli de locis communibus referam unum aut alterum Philippi uerbum. Sacramentũ (inquit) uel signũ pœnitentiæ non aliud nisi baptismus est. Item sicut Euãgelium nõ amisimus alicubi lapsi, ita nec Euangelij sphragida baptismum. Certum est autẽ Euangelium nõ semel tantum, sed iterum atq; iterum remittere peccatum, Quare non minus ad secundam condonationem q̃ ad primã baptismus pertinet. An nõ est hæc doctrina noua, quam Poëticus iste Theologus ante annos xxij. tradidit? Si baptismus pœnitentiæ sacramentum est, non erunt uel tria secundum Lutherum in Babylone sua, uel septem secundum Catholicos in Ecclesia sacramenta, & fas erit reiterare baptismum, sicut reiteratur pœnitentia. O doctorem friuolum & Philautia cœcum, qui tam audacter pronunciat & omnia confundit ac mutat.

Luth. In asser. art. 31. & 32. Quoniam uero et ipse Dialecticam scripsit, respondeat mihi de loco per contrarium, si sic argumenter, Lutherus ait. Opus bonum optime factũ est peccatum. Ergo opus malum pessime factum est uirtus aut gratia. Cumq; Lutherus hanc propositionẽ probet per priorem, quæ sic habet. In omni opere bono iustus peccat. Ego per locũ à cõtrarijs sic infero. Ergo peccator in omni opere malo agit bene, An non est hæc bona secundum Dialecticos consequentia? sed falsum est consequens, ergo & antecedens falsum est.

Inepta Phil. solutio. Sed audiamus, quid respondeat Rhetor iste ad hoc Coloniensium argumẽtum. Non esset discrimen (inquiũt) inter Ethnicorum opera & Christianorũ, si omnia essent uitiosa. Quid opus est (ait ipse) his Tragœdijs? Diligenter docemus quomodo placeat obediẽtia in renatis ꝓpter Christum. Cum tamen sit imperfecta, & semper manẽat

in hac

in hac uita in renatis peccata. Addimus etiam discrimen peccati mortalis & uenialis. Sed prætereo (inquit) hanc pagellam, quę tantum inanem calumniam continet. Hęc eius solutio ad Lutheranos beneualet, qui pro oraculis habent huius Philippi sui omnia quæ scribit aut loquitur. Quid aũt ualere queat apud rectius eruditos? Nuncquid sola obedientia opus est, aut opera facit? Neq; tamen obedientia recte peccatum dicitur, neq; omnis obedientia uitiosa est, aut imperfecta. De multis enim contrarium testatur scriptura diuina. De Noe quippe sic habet. Noe uir iustus atq; perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit. De Dauid sic. Iudica me Domine, quoniam ego in innocẽtia mea ingressus sum. Lauabo inter innocentes manus meas. Pes enim meus stetit in directo. Et in alio Psalmo. Et retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi. Quia custodiui uias Dñi, nec impie gessi à Deo meo. Item de Ezechia rege sic. Obsecro Domine memento quæso, quomodo ambulauerim coram te in ueritate & in corde perfecto, & quod bonũ est in oculis tuis fecerim. Item in Euangelio de Zacharia & Elizabeth parentibus Iohannis Baptistæ. Erant aut iusti ambo coram Domino, incedentes in omnibus mandatis & iustificatiõibus Domini sine quærela. Deniq; Paulus de se ipso sic testificatur. Bonum certamen certaui, cursum consummaui &c. Non est igitur obedientia peccatum in renatis. Neq; etiam in non renatis recte peccatum dicitur, si secundum bonas leges fiat. Quemadmodũ ad Ioseph in Aegypto dixit Pharao. Ad tui oris imperium cunctus populus obediet. Et in Euangelio legitur de Christo. Spiritibus immundis imperat & obediunt ei. Et de Centurione ad Dominũ loquente sic. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic, uade, et

Obedientia sanctorum. *Gen. 6.* *Psalm. 25.* *Psalm. 17.* *Esa. 38.* *Luc. 1.* *2. Timoth. 4.* *Non est obedientia peccatum.* *Gen. 41.* *Marc. 1.*

gadit:& alij, ueni & uenit. Et seruo meo fac hoc & facit; Nuncquid uero Dominus dixit ibi, obedientiam illorum fuisse peccatum aut opus uitiosum? Quid praeterea peccati manet in paruulis renatis aut quod uitiosum opus? Ecce Rhetor iste, cum ad nullum Coloniensium argumentum de poenitentia respondeat, nisi ad unum istud quod recitat ipse. Inepte tamen respondet, nihil afferens scitu dignum, sed generaliter ait, tantum inanem esse calumniam illam eorum pagellam. Haec est eius solutio ad omnia illorum argumenta.

Verba Coloniensium. Nec fideliter recitat eorum uerba. Quae sic habent. Vult Bucerus ut confiteamur omnia opera nostra esse iniqua, diuinae maiestatis offensiua, & aeterna damnatione digna. Si aũt hoc uerum est, quid Christiani habemus prae Ethnicis & incredulis amplius? Quantum distant opera nostra ab operibus illorum, si hoc malum est nobis cum Ethnicis commune? Et quid grauius poterit illorum operibus adscribi quam hic nostris tribuit? Et tamen ne illorũ quidem opera audet Apostolus tantę damnationi submittere. Ait enim ad Rom. 2. Gentes quae legem non habẽt, naturaliter quę legis sunt faciunt, & ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis &c. Obijciunt & alia plaeraque scripturae loca aduersus istam Buceri doctrinam, ad quae prorsus aliud nihil respondet hic Philippus, nisi quod sint inanis calumnia.

Responsio ex Teuthonico uersa. Memini me ante Quinquennium ad septimum supra recitatum Lutheri dogma (cui alludit Buceri sententia) Teuthonice sic respondisse, cõformiter ad Coloniensium sententiam. Lutherus plerumq; uocat friuole ac maliciose Rom. Ecclesiam ruffam meretricem Babylonis. At non uidet q̃ turpem sua poenitentia Babylonẽ ipse instituat, multo sane barbariorẽ magisq; animalem, q̃ fecerũt Adamitae, Cryptici & Hortenses fratres. Luther enim nõ fert,

ut quae-

ut quæratur diſcrimen, utrum actus aut opus noſtrū peccatum ſit aut non, ſed omnia in unū tradit cumulū, dicens omnia prorſus eſſe peccata quæcūq; agimus. Quid ad hęc diceret S. Hieronym. qui tā acriter damnauit Iouinianū, qui oīa peccata dicebat eſſe paria & oēs peccatores ęquales. In qua ſane ſentētia Cicero quoq; in Paradoxis ex parte ſequitur Stoicos, ſed tam ſcriptura q̄ Naturalis ratio dictat, unum peccatum altero maius eſſe. Lutherus uero nō ſolum peccata, uerumetiam bona opera noſtra confundit ſimul cum peccatis in unum aceruū, ut iuxta eius ſententiam tantundem ualeat furari ac eleemoſynā dare. Ieiunare & crapulari, lugere ac ſaltare, orare ac blaſphemare. Quid uero boni ex huiuſmodi doctrina ꝓuenire poterit? Certe nulla eſt ciuitas, nullus uicus aut pagus tantæ barbariei, ut in ſæculari regimine talē poſſit admittere ſententiam, nempe q̄ bona & mala opera, uirtutes & uitia deberent pariter in unum detrudi aceruum. Quō igitur Eccleſia huiuſmodi doctrinā ferre aut recipere queat, Cum ſit ipſa ut caſtrorum acies ordinata? Fruſtra aūt obijcit Philippus nobis Cyprianum, qui pręcipuus eſt Exhomologeſis & ſatisfactionis aſſertor. De quo & in Quinta Philippica contra eum agimus, Nec opus eſt hic prolixiore de Cypriano reſponſione. Quandoquidē fatetur ipſemet Philippus, illū nō recipi aut probari à ſe in omnibus, eo quod ſint quædam duriora apud eum q̄ ut probanda ſint. Sed quæ Philippus duriora dicit, nos ueriora eſſe non dubitamus, Lutherani autem ſanam doctrinam Eccleſiæ non ſuſtinentes, ad ſua deſyderia coaceruant ſibi magiſtros prurientes auribus, quia nimis durum eis uidetur recte confiteri ac ſatisfacere. Itaq; magis placet eis, ſola fide, aut etiam ſola recordatione baptiſmi, à peccatis iuſtificari, ſed miſere falluntur hoc aurium dulci pruritu. Id enim ex nulla ſcriptura probare poterunt.

Can. 6. *Cyprianus* D i. *2. Timoth. 4.*

De

DE INVOCATIO-
ne sanctorum.

Sanctos indigne mortuos uocari.
Matth. 22.

DE sanctis, quos in cœlo cum Christo regnare, ac gloria et honore coronatos triumphare pie credūt omnes Catholici. Philippus iste infideliter scribit et loquitur. Subtrahit enim nomen sanctorum, & contemptim uelut Iudæus aut Paganus uocat eos mortuos. Cum non ignoret, ab ipso Christo, Domino nostro, dictum esse in Euangelio ad incredulos Saducæos, resurrectionem mortuorum negantes. Nō est Deus mortuorum sed uiuentium. Indigne igitur & contra Ecclesiæ consuetudinem de sanctis Dei loquitur Rhetoricus iste Theologus, dicens, se pauca de inuocatione mortuorum dicturum esse.

Infidelis recitatio.

Et nequiter corrumpit uerba libri Coloniensium, ubi de Theodosio referunt historiam. Non enim sic habent eorum uerba sicut ipse infideliter recitat, Theodosiū stratum ad sepulchra mortuorum suas præces dixisse. Sed sic habet eorum liber, Theodosius cum sacerdotibus & populo omnia orationum loca circumibat, & ante Martyrum & Apostolorum thecas iacebat humi prostratus, poscens fida sanctorum auxilia. Non ait irreuerenter, ad sepulchra mortuorum, ut recitat Philippus, sed ante Martyrum & Apostolorum thecas. Nec ait, mortuorum auxilia, sed fida sanctorum auxilia. Sed ita placet Poeticis istis Theologis nouo loquendi modo antiq̃ Ecclesiæ pietatem irridere atq; conturbare.

Dedecus Imperij.

Quod certe tuo Cæsar Imperio (honorificentissimo alioqui & rerum gestarum gloria Illustratissimo, atq; contra potentissimos hostes, Turcas & Gallos, Dei benignitate uictoriosissimo) non paruum & apud exteros & apud posteros dedecus afferre poterit, ut uereor: nisi restiteris tandem manu forti, abolito prorsus aut in peius mutato ab his hæreticis diuino cultu, tot sæculis

culis in Ecclesia & sacro Romano Imperio ab omnibus obseruato. Quę rebelles isti tot iam annis impune calumniantur ac destruunt. Cæterum tota series responsionis, quam contra sanctorum inuocationem uerbose producit Philippus, præterq mendacia & calumnias, nihil habet, quod antiquæ pietati erga sanctos nostræ officere queat apud cordatos & sanius eruditos, qui huius Rhetoris uerba pro oraculis non habent, ut stulte habent Lutherani.

Etenim quæ hic affert de sæculo & autoritate scriptorum ueterum, confutata sunt in Philippica Quinta iam pridem. Vbi inter alia multa sic dixi. Hoc mirum est subdoli Rhetoris commentum, quo apud suos eludit omnia, quæcunq; ex ueteribus sanctis patribus cōtra noua ipsorum dogmata obijciuntur. Quicquid enim allegaueris, si ei displicuerit, dicet stipulam esse, dicet ex uulgi errore mutuatum esse, dicet autorem aliter sensisse q dixisse, ut sibi liberam in omnes censuram retineat, ad obijciendum nobis ex antiquis autoribus quicquid placuerit, atq; ad reijciendum ex eisdem quicquid displicuerit sibi. Talem aūt disputatorem & Antagonistam quis uincere queat? Hic quidem non ita prolixe de ueterū scriptis blaterat, ut ibi, non minus tamen hic q ibi est improba & superba in ipsos censura, Augustinum facit hic puriorem Origene, & recte quidem, quia nō est ab Ecclesia damnatus, ut in quibusdam, præsertim in libris Periarchon, Origenes. Quidam aūt sectæ huius Complices iniquiores sunt Augustino, propter Purgatorium ignē. Dicunt enim ab eo quoque obscuratam esse puriorem doctrinam, in eo presertim loco Pauli, 1. Corinth. 3. de prædicandi officio, quem ille iniuste & contra omnem naturam & Idiomatis & negocij traxerit ad Purgatorij assertionem.

Vanæ elusiones.

Philip. 5. B.

Puriorem aūt doctrinam uocant impurum & impium Euangelium suum nouum. In quo sancta & pura ueterum

Purior doctrina.

rum scriptorum & totius Ecclesiæ dogmata & instituta prophanantur & abolentur, atq; barbarica & impia ueterum hæreticorum dogmata & impietates renouantur. Nec pure allegat hic Augustini dictum Philippus, quod dixerit, Seruitutem Ecclesię iam duriorem esse Mosaica. Neq; indicat locũ, ubi nam sic dixerit, ne cito possimus fraudem eius depræhendere. Est aũt is locus in Epistola posteriore ad Ianuarium. In hæc sane uerba. Omnia itaq; talia, quæ

Aug. in epistola 119. neq; sanctorum scripturarum autoritatibus continẽtur, nec in concilijs Episcoporum statuta inueniuntur, nec cõsuetudine uniuersę Ecclesię roborata sunt, sed diuersorum locorũ diuersis moribus innumerabiliter uariant̃, ita ut uix aut omnino nunq̃ inueniri possint causæ, quas in eis instituendis homines secuti sunt, ubi facultas tribuit̃, sine ulla dubitatione resecanda existimo. Quamuis .n. neq; hoc inueniri possit, quomodo cõtra fidem sint, ipsam tamen religionẽ (q̃ paucissimis & manifestissimis celebrationũ sacramentis misericordia Dei esse liberã uoluit,) seruilibus oneribus premunt. Vt tolerabilior sit cõditio Iudeorum, qui etiam si tempus libertatis non agnouerint, legalibus tamẽ sarcinis, non humanis præsumptionibus subijciunt̃. Sed Ecclesia Dei, inter multam paleam multaq; zizania cõstituta, multa tolerat: Et tamẽ quæ sunt contra fidẽ uel bonã

Moderata Augustini sententia. uitam, nõ approbat, nec tacet, nec facit. Hęc sunt ꝓpria Augustini uerba, quæ neq; superstitionẽ neq; seruitutem tribuunt Ecclesiæ, ut falso dicit iste Philippus, sed quasdã diuersorum locorum pręsumptiones nouas, quarum causæ, cur institutæ sint, inueniri non possunt, resecandas existimat. Sed eas duntaxat, quæ neq; in sacris literis continentur, neq; in Concilijs sunt statutæ, nec Ecclesiæ uniuersæ consuetudine approbatę. Eo etiam addito moderamine, ubi facultas tribuitur. Quod paulo superius ita declarat. Quod autem instituitur (inquit) præter cõsuetudinẽ, ut

quasi

quasi obseruatio sacramenti sit, approbare non possum, etiamsi multa huiusmodi, propter nonnullarum uel sanctarum uel turbulentarum personarum scandala deuitãda, liberius improbare nõ audeo. Nihil igitur locus iste Augustini iuuat aut excusat impios ausus, & temerarias præsumptiones huius Philippi & sociorum eius, q contra scripturas, cõtra Conciliorum decreta, & cõtra uniuersæ Ecclesiæ cõsuetudinẽ, nouos excogitant ritus ueteresq; abolẽt, qui ex septẽ Ecclesiæ sacramentis Quatuor abijciũt, et reliqua tria nouis pſumptionibus pphanant, q nephario ausu Missæ sacrificiũ, Inuocationẽ sanctorum, Cõfessionẽ & satisfactionẽ, fontis baptismalis Chrismatisq; & sacri olei atq; etiã aquæ salisq; bñdictionẽ, & id genus pleraq; alia, quę per tot sęcula generalit tota obseruat Ecclesia, temere abijciũt, irrident atq; etiã damnant. Contra huiusmodi aũt ausus idem August. in priore ad eundẽ Ianuarium epistola durã fert sententiã. In hęc sane uerba. Si quid horũ tota die per orbem frequentat Ecclesia, hoc quin ita faciendũ sit disputare, insolentissimæ insaniæ est. Ipsa quippe mutatio cõsuetudinis, etiam quę adiuuat utilitate, nouitate perturbat. Item. Illa aũt, quæ nõ scripta sed tradita custodimus, quæ qdem toto terrarũ orbe obseruant, datur intelligi, uel ab ipsis Apostolis, uel plenarijs Cõcilijs (quorum est in Ecclesia saluberrima autoritas) cõmendata atq; statuta retineri. Item. Quod .n. neq; contra fidem, neq; contra bonos mores iniungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum inter quos uiuitur societate seruandũ est. Deniq; confirmat hanc suã sententiam autoritate S. Ambrosij, qui ei sic respondit. Cum Romam uenio, ieiuno sabbato, cum hic sum (hoc est Mediolani) non ieiuno, sic etiã tu, ad q forte Ecclesiã ueneris, eius morẽ serua, si cuiq; non uis esse scãdalo, nec quenq; tibi. Hæc cõtra nouatores Augustin. Vtinã uiro nõ solũ huius uiri autoritatẽ (q etiã Henricus

Prophanæ præsumptiões

Aug. in epistola 118.

Modestia & humilitas Augustin. Bullingerus, non leuis alioqui S. Ro. Ecclesiæ sedisque Apostolicæ oppugnator & hostis, magni facit, uelut Doctoris probatissimi & inter Christianissimos Antistites maximi nominis) uerũ etiam modestiam & humilitatem sequerentur Nouatores isti, qui maxime sibi scripturarum peritiam arrogant. Is ergo in fine posterioris ad supradictum Ianuarium epistolæ sic ait. Hæc tibi si satis esse ad ea quæ requisisti non putaueris, nimis ignoras & uires & occupationes meas. Tantum enim absum ab eo quod putasti nihil me latere, ut nihil in epistola tua legerim tristius. Quia & aptissime falsum est, & miror quia hoc te latet, quod non solum in alijs innumerabilibus rebus multa me latent, sed etiam in ipsis sanctis scripturis multo nesciã plura quam sciam. Hæc Augustinus.

Philip. irridet sanctorum beneficia. Irridet hic quoq; (ut in plerisq; alijs scriptis suis) sanctorum erga nos beneficia, quæ tot seculis confessa & experta est omnis Ecclesia Christi, & non honestius de sanctis nostris quam de Idolis Paganorũ poetatur, dicens. Nondum tamen erant statuæ, nondum erant distributa munera inter mortuos, nondum Anna dabat opes ut Iuno, nõdum Georgius iuuabat equites ut Castor & Pollux. Et infra. Hac ætate omnia plena sunt statuarum, et ad eas alligatur uel Dei uel mortuorũ inuocatio. Et ut olim à Neptuno prospera nauigatio, à Cerere fruges petebantur. Ita nunc uarij opitulatores inuocantur. Ait Epiphanium inter hæreses recensere, quod sua ætate mulieres in Syria statuam Marię circumtulerunt, & ei liba & nescio quas alias res obtulerunt. Nunc aũt pro magna haberi pietate, Inuocare Mariam, & donaria liberaliter cumulare. Aduersus

H. i. hæc poetici Theologi impropria. In Quinta Philippica respondi breuiter, omnia fere argumenta eius, quæ hic repetit, ex scripturis confutans.

Cunq; Alesius Scotus, arte & calamo aut saltem imitation

tationehuius Philippi, consimili opprobrio rideret Deũ in sanctis suis, nominatim uero in duobus apud Scotos notissimis Niuiano & Bodulfo, quos Dijs gentium Lupercis comparabat, & medicos ex renouata Euangelij doctrina multum utilitatis accipere diceret, propterea, quod antea fuissent propemodum pulsi artis Medicæ professione à sanctis, quia quilibet diuorum sumpsisset sibi aliquã partem medicinæ exercendam. Ego ei obieci unum ex ultimo libro Aug. de ciuitate Dei bene prolixum Caput, in quo sic ait. Si miracula sanitatum (ut alia taceam) ea tantummodo uelim scribere, quæ per hunc Martirem, id est gloriosissimum Stephanũ, facta sunt in Colonia Chalamensi & in nostra, plurimi conficiendi sunt libri. Nec tamen omnia colligi potuerunt, sed tantum de quibus libelli dati sunt qui recitarentur in populis. Item. Sanati sunt (inquit) illic per eundẽ Martyrem Tres Podagrici, Duo ciues, peregrinus unus.

Miracula sanitatum.

Coc. in Apologia pro Scotiæ regno.

Et in Lutheri articulos, quos Concilio Generali proponi uolebat, Teuthonice inter alia multa sic respondi. Cum sciamus igitur, Inuocationem sanctorum omni tempore ab Apostolis usq; in Ecclesia usitatam esse, & in scripturis non esse prohibitam, nequaquam ueremur, alias Catholicas Nationes (quæ multo antiquiores Christiani sunt, q̃ nos Germani) in Generali Concilio plus credituras aut assensuras esse Luthero, q̃ S. Hieronymo contra Vigilantium, q̃ S. Athanasio, Basilio, Ambrosio &c. q̃ antiquo deniq; Ecclesiæ ritui, quẽ Deus ipse tot miraculis uisibiliter in hunc usq; diem semper confirmauit. Dei enim operibus non minus q̃ Dei uerbis credendum est, Quemadmodũ Lutherus ipse dicit in libro cõtra Anabaptistas.

Coc. in Luth. articulos.

Obieci præterea latine in septicipite, propria Lutheri uerba, quæ ipse in Picardos scripsit in libro de decem præceptis ubi sic ait. Omnes sancti omnia possunt, Et tantũ

Luth. de decẽ precep. c. 1.

tibi per eos datur à Deo, quantum credis te accepturum? Quid enim aliud sunt sancti, nisi uelut guttulæ roris, siue guttæ noctium in cincinnis & capite sponsi. Obieci item ex Teuthonica eius declaratione super quibusdam articulis, quos sibi falso imputari querebatur, hæc ipsius uerba. De sanctorum intercessione dico & teneo firmiter cum tota Ecclesia Christi, quod sancti uenerari ac inuocari debent. Quis enim contradicere queat, quod adhuc hodie uisibiliter apud sanctorum corpora & sepulcra, Deus per nomen suorum sanctorum mirabilia facit?

Scripsi insuper Hagenoiæ, in Conuentu Imperiali breuem narrationem eorum quæ acta et concordanda fuerāt Augustæ in tractatu super Cōfessione & Apologia Protestantium, à septem & septem iussu Maiestatis tuæ, Imperator, deputatis, inter quos & ego, licet omnium minimus, unus fui, eamq; tradidi bona conscientia, priuatim et fideliter, sereniss. Regi Ro. &c. Clemētissimo Domino meo, non temeritate propria, sed ipsius iussu. In qua sane narratione circa xxi. articulū Confessionis & Apologiæ, qui hanc de sanctis controuersiā complectebatur, sic scripsi. De hoc quoq; articulo tractatum est in delectu, sed non plene concordatum. Admiserunt quidem nobis, q̄ omnes Angeli & Sancti in cœlo corā Deo pro nobis intercedunt, & quod memorias ac fœsta eorum, in quibus Deum rogamus ut sanctorum intercessio nobis sit proficua, bene obseruare possumus, Sed nolunt sanctos inuocare, quando id scriptura non iubet. Dicebant tamen, se nemini prohibere ne inuocet. Neq; enim scriptura ulli hoc prohibuit. Interfuit autē eidem tractatui iste quoq; Philippus, qui nunc maxime prohibet, atq; pro crimine idololatriæ habet, inuocare sanctos. Longe plura scripsi deinde Ratisponæ in Conuentu Imperiali, dum infaustum illud haberetur colloquium Trium et Duorum, in eundem articulum

Tractatus inter septem & septem.

ticulum, atq; adeo in totam summatim illorum Confes-
sionem & Apologiam, quæ referre longum foret.

Multo autem adhuc plura in hos Ecclesiæ rebelles san-
ctorum inuocatione scripserunt plærique pij ac eruditi hoc
æuo nostro Theologi, quorum extant libri, in hunc usq;
diem à nemine illorum aduersariorū confutati. Ad quos
breuitatis gratia hunc remitto Phillippum, ut eis respon-
deat, si potest, præserti uero D. Io. Eckio, suo (dū Vuor-
maciæ essemus) collocutori, qui hac de controuersia tam
multa scripsit in suis Homelijs, in Enchiridio & in Apolo
gia, Quod si huius scripta nimis grauia aut prolixa puta-
uerit, respondeat saltem ad ea, quæ D. Michael Vehe do-
ctissime scripsit de hac re in tractatu Decimo suæ Asser-
tionis. Meo sane iudicio nihil breuius, uerius, aut neruosius
pleniusue de hac controuersia dici, aut scribi potest ꝙ uir
ille, beatæ nunc apud Christum immortalitatis, scripsit ac
docuit. Cui si iuste respōderit hic Philippus, ego ei palmā
ultro concedam. Sed longe alijs ei uiribus opus erit ad re-
spondendum ꝙ quibus hic utitur.

Scripta Catholicorum de sanctorum inuocatione.

Michael Vehe Vuimpinensis

Contra impiam igitur subsannationem eius, qua hic
Diuam Annam Iunoni, Georgium Castori et Polluci cō
parat, potest pijs Catholicis sufficere, quod Ratisponę bre
uiter ita scripsi. Vnus est Deus per essentiam & naturam,
Hæc eius gloria non datur alteri. Sancti autem sunt Dij,
non per naturam, sed per gratiam & participationē beati-
tudinis æternæ. Non sunt autē Dij alieni, nec extra Deū,
sed intime coniuncti sunt Deo beatifica uisione & fruitio
ne: nō alieni à Deo, sed filij & hęredes Dei, atq; cohęredes
Christi. Dij aūt gētiū maxime alieni sunt à Deo nō in cę-
lo, sed in tartaro positi. Grauissima est igitur blasphæmia,
qua nunc Sectæ nos idololatras, & cultū sanctorū Idolo
latriam uocant, sancti enim idola nō sunt, sicut erāt dij gē
tiū. Et sicut aliter Dij sunt ꝙ Christus aut Deus pater est.

Quomodo sancti sunt Dij et quomodo inuocantur.

Ita &

Ita & alio cultu à nobis honorantur, nempe cultu Duliæ. Deus autem solus cultu latriæ coli debet. His itaque verbis soluitur quæstio de inuocatione Dei, quam toti contentioni hic suæ prætexit Philippus, tanquam inuincibilem causam ad redarguendum totius Ecclesiæ patrumque antiquorum receptissimum de sanctorū inuocatione usum, alia namque est inuocatio, qua Deum, & alia qua sanctos inuocamus & colimus.

DE COENA DOMINI.

Desolatio Ecclesiarum.

HEu mihi, Cæsar, quanto uror zelo, quanta crucior tristitia, quādo respicio in Ecclesias & Monasteria, quæ Zuinglianorum & Lutheranorum subiacent terrenæ potestati, in quibus omnia sacra aut sunt prorsus abolita, aut fœdissime prophanata, Altaria aut penitus demolita, ueluti apud Zuinglianos, aut hominum sedilibus obstructa, ut nullus ad ea pateat accessus, sicut apud Lutheranos, nulla in templis luminaria, omnia Ciboria prorsus uacua, aut penitus destructa, ligneis hominum sedibus omnia plena, Cimiteria in prophanos usus conuersa, Monasteria uel in stabula, aut granaria, uel in artificum officinas, aut bombardarū armamētaria instrumentorumue fabrilium receptacula prophanissime demutata, in quib. antea ordinatissime die noctuque in hymnis & Canticis laudabatur Deus, atque horæ Canonicæ & diuina peragebantur offitia.

Impietas Philip. in Corpus Domini.

Quasi uero hæc leuia sint impiorum peccata, irrumpit sceleratus Rhetor iste, in ipsum corpus Domini qd' merum panem uocat, & Persico assimilat Gentilium igni. Recitaui quidē iam antea in Quinta ad Maiestatem tuā Philippica & confutaui quoque graues istius hominis, & complicū eius contra hoc uenerabilissimum sacramentū errores

Philip. quinta H ij & iij.

errores aliquot, De quibus nondum respondit mihi, Teuthonice quoque plerisq; libellis & disputationibus multas de hoc sacramēto impietates Lutheri accusaui, & per gratiam Dei omnium Catholicorum iudicio (cui me libēter & secure submitto) conuici, fortius cōuicerunt & alij plærique ex omni ferè Natione pij ac docti uiri easdem, quibus nemo aduersariorum ordinate aut integre respondit, sed dementatę per eos plebis aliorumq; laicorum simplicitate & accenso in ipsis aduersus Clerum per uarias calumnias odio abutentes, semper in peius proficiunt Gigantes isti Theomachi, et magis adhuc impia satanica arte excogitāt. Animaduerte obsecro, Auguste, q̄ Christiane loquatur hic cōtra Colonienses gentiliter eruditus, ex Luciano suo Rhetor iste. Sciant (inquit) pij cæremoniam in actione sacramentum esse, nō panem ad alium usum circumlatū, si iam reuiuiscerent, Ambrosius & Augustinus, ut non dicam de Apostolis, ac uenirent ad hæc spectanda, In quibus longo ordine incedunt sacrificuli, gestantes ligneas, argēteas, marmoreas statuas. Deinde uero sequitur Hierophantes gestans panem, uiderentq; circumfusam multitudinem inuocare hunc panem, expauescerent ac interrogarent, ubi gentium essent, et quæ nouæ post suam ætatē Ethnicorum ceremoniæ natæ essent. Non enim putarēt se in loca Ecclesiæ Christianæ uenisse, Et post pauca, fuit olim (ait) similis Persica cōsuetudo, circūferebatur sacer ignis, quem adorabat populus ac præibant CCCLXV. sacerdotes, ut numerus congrueret ad dies animi, et gerebant certa ornamenta. Ecce quanto honestius loquitur Græculus iste de Persica Gentiliū pompa q̄ de Christianorum Processione publica, in qua uenerabiliter circūfertur Corpus Domini cum summo, quem Clerus & populus exhibere potest, uenerationis honore & piæ deuotionis affectū. In quali sane professione teipsum, Cæsar

Gentilis locutio Phil.

Processio publica cum sacramento Corporis Christi.

F CAROLE,

CAROLE, libenter & cum gaudio uidi tum Augustæ tum Ratisponæ, ubi Imperialem celebrabas conuentum, Vidi inquam te summa cum deuotione, nudo semper capite sub diuo in ardentissimo etiā solis feruore, post Reuerendissimos Cardinales Moguntinum & Contarenum, quorū ille Augustæ, hic Ratisponæ uenerabile deportabat per urbis plateas Corpus Domini, sequi religiose portantem in manu dextra facem ceream, & ubicunq; monstrabatur ad populum cum signo crucis Corpus Domini, tu Imperialis tunc oblitus Maiestatis terrenæ, ac trāsitoriæ, in honorem & reuerentiam Domini tui (cui cœlestis & æterna maiestas est) uel in medio platearum luto in genua prouolutus, suppliciſsime adorabas illud sacramentum, Quod certe non fecisses, si nō credidisses (sicut crediderunt ante te omnes pij & Catholici Reges & Imperatores, Maiores & parentes tui) ibi esse uerū Corpus

Psal. 68. Dñi, sed Panē duntaxat, ut iste loqtur. Si ergo Regē Dauid recte comedit zelus domus Dñi, te Imperatorē Christianum & Regem Catholicum non comedat zelus Corporis Domini? Nunquid sanctior est domus Domini q̃ corpus eius, quod ipsius diuinitati inseparabiliter in una & eadem persona æterna coniunctum est?

Luciānica Theologia Philip. Attende igitur ô Princeps, qui non frustra gladium portas, q̃ scurriliter loquatur hic de Domino & Deo tuo, quem in sacramento uenerarís. De Persica uero Gentiliū pōpa quāto honestius oīa recitet Lucianicus iste Theologus. Nobis ridicule sacrificulos, Persis sacerdotes tribuit, Sacramentum nostrū uocat simpliciter, absq; omni honoris epitheto Panem, Persarum uero sacrum ignem. De fidelibus nostris contemptim ait, circumfusam multitudinem inuocare hunc panem, De Persarum uero gentilibus ait honestius, quod sacrum ignem adorabat populus, Nostris sacerdotibus, qui honoris causa uenerabiles

portant

portant sanctorum reliquias, tribuit odiose statuas, Persis uero certa ornamenta.

Quid faceres, obsecro, Imperator, si sic loqueretur uel coram te uel coram populo palam Iudæus aliquis, contra hoc nostrum sacramentũ? An non exclamares protinus cum Diuo Hieronymo, O linguam præcidendam & in frusta secandam. Si ergo non permitteres Iudæo (qui in Christum non credit) palam sic loqui impune, Quo iure, quæso, aut qua conscientia permittes huic baptizato Mamalucho (quid enim aliud uocitem eũ qui in consecrato pane abnegat Christum Dominum & Deum suum quẽ antea confessus est?) palam in multis milibus librorum (quos toto orbe Christiano per Typographiã dispergit) sic scribere tam libere absq; omni animaduersione? Siste eum saltẽ iudicio, ut coram doctis reddat de his dictis suis rationem, Tunc enim facile comperies, q̃ inaniter uerbosa sit absq; scripturis & rationibus ipsius Poëtica & Gentilis Theologia. *Hiero. in Vigilan.*

Quas rogo affert hic scripturas aut rationes, per quas probari queat, Panem semel per uerba consecrationis in corpus Domini substantialiter transmutatum, non remanere corpus Domini, si deferatur uel uenerationis causa in processione, uel necessarij uiatici causa ad infirmos? Quibus uerbis execrat quod semel consecratum est? Aut qua ui expellit corpus domini quod antea per uerba consecrationis adesse, nobiscum credidit? Semel uere dictum est super eum panem in uerbo domini. Hoc est corpus meũ, Verbum autem Domini manet in æternum, Et non transit mox cessante in actione, ceremonia, ut iste loquitur. *Reprobatio noui erroris.*

Obijcit nobis Ambrosium & Augustinum quasi suæ fauentes sententiæ, sed ne unum quidem producit uerbum eorum, quod tanto patrocinari possit errori. Nos *Panis in corpus Domini transmutatus*

contrarium facile per utrumq; ostendere possumus. Quis
enim luculentius de ueritate corporis domini in hoc sacra
Ambro. de my mento scripsit q̃ Ambrosius? Hæc sane sunt uerba eius,
sterijs initi. forte dicas, Aliud uideo, quomodo tu mihi asseris, q̃ Chri
c.9. sti corpus accipiam? Probemus (inquit) non hoc esse q̃d
natura formauit, sed quod benedictio consecrauit, maio-
remq; uim esse benedictionis q̃ naturæ, quia benedictio-
Exo. 4. & 7. ne etiam natura ipsa mutatur. Virgam tenebat Moyses,
proiecit eam & facta est serpens, Rursus apprehendit cau
dam serpentis, & in uirgæ naturam reuertitur. Vides igit
prophetica gratia bis mutatam esse naturam, & serpentis
& uirgæ. Et infra. Quod si tantum ualuit humana bene-
dictio, ut naturam conuerteret, Quid dicimus de ipsa cō-
secratione diuina, ubi uerba ipsa Domini saluatoris ope-
rantur? Nam sacramentum istud quod accipis, Christi
sermone conficitur. Quod si tantum ualuit sermo Helię,
ut ignem de cœlo deponeret, Non ualebit Christi sermo,
ut species mutet elementorum? De totius mundi operi-
bus legisti, Quia ipse dixit & facta sunt, ipse mandauit, &
creata sunt. Sermo ergo Christi, qui potuit ex nihilo face
re quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare q̃d
non erant? Non enim minus est nouas rebus dare, q̃ mu-
tare naturas. Hæc ibi.

Et in alio sermone adhuc clarius sic ait idē Ambrosius.
Ambro. de sa- Tu forte dicis. Meus panis est usitatus. Sed panis iste pa-
cramentis lib. nis est ante uerba sacramentorum. Vbi accesserit conse-
4. c. 4. cratio, de pane fit caro Christi. Itē. Non erat corpus Chri
sti ante consecrationem, sed post consecrationem dico ti-
bi, quod iam corpus est Christi. Ipse dixit & factum est,
ipse mandauit & creatum est. Item. Ergo didicisti, quod
ex pane corpus fiat Christi, Et quod uinum et aqua in ca-
licem mittitur, sed fit sanguis consecratione uerbi cęlestis.
Et rursus, Anteq̃ consecretur, panis est, Vbi autem uer-
ba Christi

ba Christi accesserint, corpus est Christi. Item adhuc magis diserte ait in alio rursus sermone. Dixi uobis, quod ante uerba Christi quod offertur panis dicatur. Vbi Christi uerba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur. Quid obsecro clarius contra hunc Philippum & contra omnes ei consentientes, proferri queat? *Idē lib. 5. c. 4.*

Ego certe ipsum Lutherum ante xxii. annos Vuormaciæ, in suorum conspectu & ipsius hospitio, per ista Ambrosij uerba de manifesto conuici mendacio, quod adhuc in gutture eius fixum remanet, nec reuellere unquam poterit. Dixerat quippe in sua Babylone, recens tunc ędita, uerū remanere panem, & absurdum esse panem pro specie uel accidentibus panis accipi. Et Ecclesiam ultra M.CC. annos recte credidisse, nec usquam nec unquam de ista transsubstantiatiōe meminisse sanctos patres, donec cœperit Aristotelis simulata philosophia in Ecclesia grassari in istis CCC. nouissimis annis. In quibus & alia multa perperā sint determinata. Quin & de alio eundem ibi conuici mendacio, de quo se nunquam extricare poterit. Dixit namque ibidem Thomisticam Ecclesiam hoc determinasse, nempe transmutari panem in corpus Domini. Probaui autem hoc ante Thomam determinatum fuisse expressis uerbis in Concilio Generali sub Innocentio III. *Mendacium Luth.*

Sic & Philippum hunc & omnes eius complices per eundem Ambrosium manifeste conuincam hic de impio isto mendacio, quod dicunt cessante actione Ceremonijs & usu communionis huius sacramenti, non remanere ibi corpus Christi, sed merum esse panem, qui per Idololatriam à nobis adoretur. Ideo reseruari non debeat. Vnde accidit, ut per hunc errorem destruant aut saltem euacuent omnia in suis templis ciboria, & reseruatas hostias (ut uocamus panes consecratos) alicubi immanitate plus quam impia & barbarica pedibus conculcent, & remanens in ca *Corpus Domini remanere in pane consecrato.*

 lice

Amb. de excessu fratris c.7.

liceconsecratum uinum in terrã irreuerenter uelut aquã effundant. Audiant igitur ueram ex Ambrosio historiã, quæ hunc manifeste confutat errorem. In libro namq; de excessu fratris sui germani, nomine Satyri, sic refert de illo, q priusq perfectioribus esset initiatus mysterijs, in naufragio constitutus, ne uacuus mysterij exiret è uita, quos initiatos esse cognouerat, ab his diuinum illud fidelium sacramentum poposcit, non ut curiosos oculos inseréret arcanis, sed ut fidei suæ consequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, & orarium inuoluit in collo, atq; ita se deiecit in mare, non requirens de nauis compage resolutam tabulam, cui super natans iuuaretur, quoniam fidei solius arma quæsierat. Nec deseruit spes, nec fefellit opinio. Deniq; primus seruatus ex undis, & in portum terrenæ stationis euectus, præsulem suum, cui se crediderat, recognouit, statimq; Dei ecclesiã requisiuit, ut ageret gratias liberatus, & mysteria æterna cognosceret. Referebat igitur gratiam, deferebat fidem. Nam qui tantum mysterij cœlestis, inuoluti in orario, prçsidium fuisset expertus, quantum arbitrabatur, si ore sumeret, & toto pectoris hauriret arcano? Quam maius putabat fusum in uiscera, quod tantum sibi tectum orario profuisset? Hæc ibi.

Quibus & alia addit, quæ hostes Rom. Ecclesiæ fide spoliant ac damnant. Aduocauit ad se (inquit) Episcopum, percontatusq; ex eo est, utrum nam cum Episcopis Catholicis, hoc est cum ROMANA Ecclesia, conueniret. Non enim putauit fidem esse in schismate. Nam etsi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei Ecclesiam non tenerent, cuius patiebantur uelut quosdam artus diuidi, & membra lacerari. Etenim cum propter Ecclesiam Christus passus sit, & Christi corpus Ecclesia sit, non uidetur ab his exhiberi Christo fides, à quibus euacuatur eius passio corpusq; distrahitur. Quid ad hçc, obsecro, aurea

S. Am-

S. Ambrosij uerba, recte aut uerecunde respondere pote-runt omnes Lutherani pariter & Zuingliani?

Non est autem opus ex Augustino hic multa in eos proferre, etsi per multa habet quae contra eos sunt. Quandoquidem ipse Philippus nō credit ei, nisi ubi sibi placuerit, & in Colonienses inuehitur, quod opposuerunt exemplum de priuata missa, inde usq; ex Africa allatum, qua pulsum sit alicubi spectrum, sic enim ridicule loquitur. Augustinus autem serio ac sobrie ea de re scripsit, non spectrum, sed spirituum malignorum uim noxiam uocans illud malum, quo affligebantur serui & animalia Hesperij uiri tribunitij, qui rogauerat Augustino absente presbyteros eius, ut aliquis eorum illo pergeret, cuius orationibus cederent. Perrexit unus, obtulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantū potuit ut cessaret illa uexatio. Deoque protinus miserante cessauit. Haec Aug. quibus confutatur istorum error & blasphęmia contra missam & sacrificium corporis Christi. Aduersus reliqua uero, quae Rhetor iste gentiliter magis q̄ Christiane hic deblaterat, responsum est, à me quidem succincte in Philippica (ut dixi) Quinta. Copiosius autem atque etiam eruditius à D. Io. Eckio In sua aduersus Buccerum & Philippum Apologia, ubi cōplures eorū iugulat errores de hoc sacramento. *Aug. de ciui. dei. lib. 22. c. 8*

DE COELIBATU ac de uotis Monasticis.

DE cœlibatu uerbosissime quidem Rhetoricatur hic Philippus, cuius legem dicit esse fontē multorum ingentium scelerum. Sed neq; ex scripturis neq; ex sanctis patribus obijcit quicq; quod responsione dignum uideri queat, neq; ad Coloniensium obiecta respondet aliud, nisi quod generatim dicit, eos cumulare magnos aceruos futilium Canonū & argumenta futiliora. Ipse uero nō nisi

futilissi-

futilissimam pariter ac falsissimam opponit ijs omnibus rationem, ex sua ipsius mendaciorum pharetra, absque omni scriptura & patrum testimonio prolatam, dicens Coelibatus legem impedire inuocationem Dei.

Purissima in coelibatu Inuocatio Dei.

Quæ sane sententia manifeste contradicit non solum sanctis patribus & Concilijs, uerumetiã Esaię, Christoque ipsi, & eius Apostolo Paulo, & innumeris sanctis Dei utriusque Testamenti, qui in coelibatu & sanctissime uixerũt & purissime Deum inuocauerunt. Verbi gratia In ueteri testamento Abel, Elias, Eliseus, Hieremias, & innumera Essæorum turba. De quibus sane tam multa bona & miranda scribit Iosephus, clarissimus in historia Iudæus, ut prolixa eius de eorum uirtutibus & sanctissimis institutis narratio uel sola sufficiat ad conuincendum hoc generale Philippi aduersus coelibatum mendacium.

Iosephus de bello Iudaico lib. 2. c. 2.

Etenim tria sunt (inquit) apud Iudæos genera Philosophiæ. Horum unum Pharisęi profitentur, alterum Saducæi. Tertium autem, quod probabilius habetur Essæi colũt, gente quidem Iudæi, Verum inter se mutuo amore coniunctissimi, & qui præter cæteros uoluptatẽ quidem quasi maleficia uitare, continentiam uero seruare, neque cupiditati succumbere, uirtutem maximam ducere. Itaque nuptias quidem fastidiunt, alienos uero filios, dum adhuc molles sunt, erudiunt, traditos pro cognatis habentes, suis moribus diligenter instituunt. Præcipue circa Deum religiosi sunt. Namque ante solis ortum nihil profani loquuntur, sed ei patria quædam uota celebrant, quasi ut oriatur oriantur precantes; Et post pauca. Deinde (inquit) uoce cibum sacerdos ante uertit, neque gustare quenquam fas est, nisi prius Deo celebretur oratio. Post finẽ quoque prandij uota repetunt. Nam & cum incipiunt & cũ desinunt, quasi datorem uictus Deum laudibus canunt. Cætera de ijs referre, quæ lectu iucundissima sunt, hic nimis longum foret.

Verun-

Veruntamen in confusionem omnium Apostatarum huius temporis de ipsis ex Plinio quoque, homine Ethnico, pauca referam. Ait itaque in descriptione orbis terræ. Ab occidentali littore Hesseni, quos fugitant usque quaque nocentes. Gens sola, & in toto orbe præter cæteras mira, sine ulla fœmina, omni uenere abdicata, sine pecunia. In diem ex æquo conuenarum turba renascitur, large frequentātibus quos uita fessos ad mores eorum fortunæ fluctus agitat. Ita per seculorum milia (incredibile dictu) gens æterna est, in qua nemo nascitur. Tam fœcunda illis aliorum uitæ pœnitentia est. Et tantū de Essæis, quos Hessenos uocat Plinius. Sanctitatem uero & ueram inuocationem Dei, quam in nouo testamento præstiterunt atque custodierūt Ioannes Baptista, Ioannes Euangelista. Christus ipse & innumeri Episcopi, Presbyteri alijque Clerici & Monachi Virginesque sacræ, quis pro dignitate rei sufficienter explicare queat? De quorum sane religiosissima conuersatione multas prædicant laudes celeberrimi quique autores apud Christianos, Dionysius, Tertullianus, Cyprianus, Athanasius, Eusebius, Basilius, Chrysostomus, & quis nō? Ego breuitatis gratia duos duntaxat ex latinis hic producam, quos calumniose obiecit nobis supra iste Philippus, Augustinū inquam & Ambrosium. Etenim Augustinus contra Manichæos in quodā libro sic ait. Iam accipite Manichæi perfectorū Christianorum, quibus summa castitas nō laudanda tantum sed etiam capessenda uisa est, mores & continentiā singularē. Quis.n. nescit summe continentiā hominum Christianorum multitudinem per totum orbem in dies magis magisque diffundi, & in Oriēte maxime atque Aegypto? quod uos nullo modo potest latere. Nihil de his dicam, qui secretissimi penitus ab omni hominum conspectu, pane solo, qui eis per certa interualla temporum affertur, & aqua contenti, desertissimas terras incolunt,

Plinius in naturali hist. lib. 5. c. 17.

Cœlibum laus in no. test.

August. de moribus Ecclesiæ lib. 1. c. 31.

Anachoritæ.

perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt, & eius pulchritudinis contemplatione beatissimi, quæ nisi sanctorum intellectu percipi non potest. Nihil inquam de his loquar. Videntur enim nonnullis res humanas plus quam oporteret deseruisse, non intelligentibus, quantum nobis eorum animus in orationibus prosit,

Cœnobitæ. & uita ad exemplum, quorum corpora uidere non sinimur. Sed si hoc excedit nostram tollerantiam, quis non illos miret & prædicet, qui contemptis atq; desertis huius mundi illecebris, in cōmunē uitā castissimā sanctissimāq; congregati, simul ætatē agunt, uiuentes in orationibus, in lectionibus, in disputatiōibus, nulla superbia tumidi, nulla peruicatia turbulenti, nulla inuidentia liuidi, sed modesti, uerecundi, pacati. Concordissima uita & intentissima in Deū, gratissimū munus ipsi offerunt, á quo ista posse meruerunt. Nemo quicq; possidet proprium, nemo cuiq; onerosus est. Operantur manibus ea quibus & corpus pasci possit, & á Deo mens impediri nō possit. Opus aūt su-

Decani. um tradūt eis quos Decanos uocant, eo q̄ sint Denis præpositi, ut neminem illorum cura sui corporis tangat, neque in cibo neque in uestimento, neque si quid aliud opus est uel quotidianæ necessitati uel mutatæ (ut assolet) ualetudini. Illi autem Decani cum magno sollicitudine omnia disponentes, & præsto facientes quicquid illa uita propter imbecillitatem corporis postulat. Traditionē

Patres. tamen etiam ipsi reddunt uni quem Patrem uocant. Hi uero patres non solum sanctissimi moribus sed etiam diuina doctrina excellentissimi, omnibus rebus excelsi, nulla superbia consulunt his quos filios uocant, magna sua in iubendo autoritate, magna illorum in obtemperando uoluntate. Conueniunt autem diei tempore extremo de suis quisq; habitaculis, dum adhuc ieiuni sunt, ad audiendum illum patrem. Et conueniunt ad singulos patres Ter

na, ut

na, ut minimum, hominum milia. Nam etiam multo nu-merosiores sub uno agunt. Hæc ibi August. de Cœlibatu Monachorum. Ambrosius uero de cœlibatu uirginum sacrarum ad sororem suam, quæ sub Liberio Papa Virginitatem suam Deo consecrauerat, sic scripsit inter alia multa. Nec improbum igitur nec nouum integritatis est studium. Videamus, ne forte inutile iudicetur. Nonnullas enim dixisse audiui, quod perijt mundus, defecit genus hominum, coniugia labefactata sunt. Quæro. Quis tandem quęsiuit uxorē qui non inuenerit? Quando fuerint bella pro uirgine? Quis unq̃ pro uirgine sit peremptus? De cōiugijs aūt ista nascuntur, ut perimatur adulter uxoris, raptor pręlijs appetat̃. Ista Reipublicę damno semper fuerunt. Pro uirgine sacra nemo damnatus est, quia castitatem non pœna cohibet, sed religio auget, fidesq; conseruat. Si quis igitur putat consecratione uirginum minui genus humanum, consyderet, quia ubi paucæ uirgines, ibi etiam pauciores homines: Vbi uirginitatis studia crebriora, ibi numerum quoq; hominum esse maiorem. Discite, quantas Alexandrina totiusq; Orientis & Aphricana Ecclesia quotannis sacrare cōsueuerint. Pauciores hic homines prodeunt, quam illic uirgines consecrantur. Hæc Ambrosius ad nobilissimam Marcellam, sororem suam, quæ Romæ in celeberrimo & festo Natalis Christi & cœtu hominum, sub Liberio Papa Virginitatem publice professa fuerat. Et his cōsonant ea, quæ S. Hieronymus & alij scripserunt in uolumine, quod uitas patrum uocant. Venimus (inquit) ad ciuitatem quandam Thebaidis, nomine Oxirincum, in qua tanta religionis dephendimus bona, ut ea nemo digne sufficiat enarrare. Repletam nanq; Monachis intrinsecus uidimus, & extrinsecus omni ex parte circundatam, & ædes publicæ, siquæ in ea fuere & templa superstitionis antiquæ, habitationes nunc erant

Ambro. lib 3. de uirginibus.

Ingens numerus Monachorum & Virginum in una urbe.

G 2 monacho-

monachorum. Et per totam ciuitatem multo plura monasteria quam domus uidebantur. Sunt autem in ipsa urbe, quia est ampla ualde & populosa, xij. Ecclesiae. In quibus publicus agitur populi conuentus, exceptis monasterijs. In quibus per singula loca orationũ domus sunt, quae certis temporibus ad orationem frequentantur. Sed nec portae ipsae, nec turres ciuitatis, aut ullus omnino angulus eius, monachorum habitationibus uacat, quique per omnem partem ciuitatis die ac nocte hymnos ac laudes Deo referentes, urbem totam quasi unam Dei ecclesiam faciunt. Nullus enim ibi inuenitur aut haereticus aut paganus, sed omnes ciues Christiani, etiã omnes Catholici. Vt nihil omnino differat, si Episcopus in platea orationẽ aut in ecclesia faciat. Ipsi quoq; magistratus aut principales ciuitatis & reliq; ciues, studiose per singulas portas statuunt eos, qui obseruant, ut scribi apparuerit peregrinus aut pauper, certatim ad eum currant, & qui praeoccupauerit abducit, ut quae sunt necessaria consequatur. De his autem quae erga nos ab ipsis populis gesta sunt, uidentibus nos transire per suam ciuitatem, & uelut angelis occurrentibus, atque honorem deferentibus, quomodo enarrem? Aut de ipsis monachis & uirginibus, quorum innumerae multitudines (ut supra diximus) in illa urbe habentur? Requirentes enim à sancto Episcopo loci illius. Viginti milia Virginum & Decem Milia monachorum ibi haberi comperimus. Quorum omnium affectum erga nos, & honorem quem exhibebant, uobis exponere nec sermo sufficit, nec uerecundia permittit. Hęc de una Thebaidis (quae Aegypti pars est) ciuitate Hieronymus religionis bona in coelibatu reperta commemorat.

Vere Christiana ciuitas.

Quanta uero fuerint alia, in omnibus Aegypti Syriae Mesopotamiae, Graeciae, atq; etiam Scythiae, in coelibatu sanctitatis uitę, ac laudis & inuocatiõis cultusq; Dei apud

Mona-

Monachos sacrasq; uirgines bona & pia studia atq; exercitia, quæ idem Hieronymus alijq; permulti, sancti ac graues autores, ut sunt Sulpitius Seuerus, Iohannes Cassianus, Gregorius Nazanzenus &c. referunt, quis digne ac sufficienter possit eloqui aut etiã animo comprehendere.

Nec omnia illa ignorat, credo, Philippus iste, qui tam multos tum Græcos tum latinos uidit autores, sed mentẽ & iudicium eius ita subuertit Lutherana hæresis, ut nunc uel maliciose simulet, uel misere deceptus ex animo dicat, Cœlibatus lege impediri inuocationem Dei, Contra tot sanctorum testimonia ex parte iam recitata, temere loquens & nihil probans, Atq; etiam contra apertas attestationes Dei per scripturas diuinas, sic enim ait per Esaiam prophetam. Et non dicat Eunuchus, ecce ego lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis, Qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ ego uolo, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum & nomen melius à filijs & filiabus. Sic & in Euangelio ipse dominus ait. Et sunt Eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum, Qui potest capere capiat. Atq; adhuc apertius ait Paulus, Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & diuisus est. Hæc utiq; legit & scit Philippus, Atq; etiam fatetur ultro, maritos distrahi curis domesticis uxoris & liberorum miserijs, neq; tamen ueretur affirmare, lege cœlibatus impediri inuocationem Dei. Et quod indignius est, cum nemo ipsius accuset matrimonium, eo quod neq; sacerdos neq; monachus fuerit quando uxorem duxit: propter Bucerum tamen aliosq; flagitiosos perfidosq; & fidefragos Apostatas (qui contra leges & Canones totiusq; Ecclesiæ consuetudinem antiquissimam, atq; etiam contra omnem de uotis scriptu

Peruersum iudicium Phil.

Esa. 56.

Math. 19.

1. Cor. 7.

Phil. Patronus turpitudinis.

ram sacram, uxores ducunt) sua sponte prosilit, ut faciat se patronum inceste ac sacrilege turpitudinis illorum. Idque facit nullis scripture sacre presidijs aut firmis rationibus sed meris nugis & calumnijs. Quid.n. nisi nuge sunt, quas prolixe refert etiam per graecas uoces, de uigore aetatis, de foecunditate nature, de amore uiri ad uxorem & liberos et id genus alias carnis querelas & excusationes, quas turpitudini sue pretexunt uelut folia ficus Apostatae, falsa securitate secundum carnem ambulantes, & in sacrilegis contubernijs suis potius quam coniugijs, uelut iumenta in stercore suo computrescentes, ac nullam de mortificanda carne per spiritus exercitia curam habentes. Attamen ipsemet fatetur interim eos coelibes esse expeditiores, qui sua occupati militia, carni resistunt.

Non pauci in Coelibatu Casti.

Sed quod eos dicit paucissimos reperiri, calumnia est in tot milia sanctorum de quibus dictum est supra. Longe namque iustius creditur de ijs, sanctis Doctoribus Ambrosio, Augustinoque et Hieronymo, quam Laico & Poetico huic Theologo: qui maliciosissime multos in coelibatu pie sancte ac caste uiuentes, suspectos de abominandis flagitijs facere satagit. Notae sunt (inquit) historie. Inter diluuij causas recensentur libidines, postea Sodoma deleta &c. fieri quidem potest, quod in Monasterijs quoque incidant aliqui in carnis flagitia. Quasi uero in cōiugijs id nusquam aut nunquam fiat aut factum sit. Quid ergo? Nūquid propter flagitiosos quosdā coniuges solui aut aboleri debet lex cōiugij? Hoc ne Philippus quidem dicet opinor. Quō igitur propter uitiosos quosdam coelibes petit aboleri legē Coelibatus, quae tot seculis per uniuersam Ecclesiam laudabiliter recepta et obseruata fuit maxima cum uirtutum fruge & incremēto, cordisque & corporis mundicia?

Iniqua Canonum reiectio.

Qua uero aequitate reprobat hic Coloniensis Philippus, quod coelibatum Conciliorum autoritate defendunt? Cur non

Cur non reprehendit Bucerum suum, qui prior in libro suo sese suaq; facta ex Canonibus defendere conatus est? An adhuc nescit aequissimum esse, ut quo quisq; iure utitur contra alium, eodem et alteri in se quoq; uti permittat? Qualis est haec modestia, proterue tantum dicere, futiles, rancidi, frigidi ac superstitiosi sunt Canones sanctorum Patrum & Conciliorum; & non addere causas quare tales dicendi sint? Talis autem proteruia nō solum cōtra bonos est mores, uerum & contra pietatem & contra sacrā scripturam, scriptum namq; est in antiquissimo ac probatissimo libro Iob. Interroga generationem pristinam, et diligenter inuestiga patrum memoriam, ipsi docebunt te. *Iob. 8.* Et in Moyse. Interroga patrem tuum & anūnciabit tibi. Maiores tuos, & dicent tibi. Item in Psalmista. Quanta mandauit patribus nostris, nota facere ea filijs suis, ut cognoscat generatio altera. Et in prouerbijs. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. *Deut. 32. Psal. 77. Prouer. 22.*

Nobis autem longe aliter sentiendum est de Canonibus, q̄ sentit uitilitigator iste. Qui scimus eis parendum & honorem tribuendum esse, non solum autoritate scripturę, ut iam dictum est, & sanctorum patrum. uerum, etiam legum Imperialium pręcepto & iudicio. Imperator n. in Codice legum uenerabiliter Quatuor recipit Concilia. Et in Autenticis honorifice ac reuerenter Canonum (quos sacras uocat regulas, non rancidas aut superstitiosas, ut superbissime facit nouus censor iste) facit mentionē in hęc sane uerba. Bene uniuersa gerūtur & cōpetenter, si rei principiū fiat decens et amabile deo. Hoc aūt futurū esse credimus, si sacrarum regularū obseruatio custodiatur, quas iusti laudandi & adorādi inspectores et ministri Dei uerbi tradiderūt Apostoli, et sancti patres custodierūt atq; explanauerūt. Et in alia constitutione uult regulas Eccle- *Autoritas Canonum. C. de summa Trini. L. Nos reddentes. In Auten. Collatio. 1. Cōstitu. 6. In prin.*

siastica

Colla.9. Constitu.6.in pri. Colla.6. Consti.2.In fine.

ſiaſticàs Quatuor Conciliorum pro legibus haberi, & eorum dogmata ſicut ſcripturas ſanctas haberi. Et rurſus in alia præcipit, Clericos in delictis Eccleſiaſticis à ſolis iudicari Epiſcopis, nihil communicantibus prouinciarum iudicibus, ut examinētur ac emendētur ſecundū ſacras, & diuinas regulas, quas ſequi (inquit) non dedignātur leges.

Calumnia in Canones.

Sed proteruit adhuc Philippus & ait. Mandatum clare extat apud Paulum. Vitandæ ſcortationis cauſa, unuſquiſq; uxorem ſuam habeat. Item. Ne erretis, nec ſcortatores nec adulteri regnum Dei poſſidebunt. Hęc fulmina (inquit) opponimus ſuperſtitioſis Canonibus, qui coniugium prohibent. Cur autem iſta Canonibus opponit? Nunquid Canones admittunt aut probant ſcortationes, aut adulteria? Nunquid uero coniugia prohibent generaliter, ut captioſe calumniatur hic eos Philippus? Nequaq;, ſed uenerabiliter pro Eccleſiæ ſacramento agnoſcunt cū

Ephe.5.

Paulo Apoſtolo legitimum Chriſtianorum coniugium, Quod tamen pro ſacramento nunc habere aut recipere nolunt Bucerus & Philippus eorumq; complices, qui tā ſtrenue coniugium defendere ſibi uidentur.

Phil. contra Paulum.

Prohibent ergo coniugium ſacri Canones, non generaliter omnibus, ſed ſacerdotibus Monachiſq; & ſacris uirginibus, propter bonum & uotum caſtitatis. Expreſſe.n.

1. Corin.7.

ait idem Paulus, quem iſte Canonum calumniator fruſtra opponit in peruerſo ſenſu. Dico autem non nuptis et uiduis, Bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint, ſicut & ego. Item. Qui matrimonio iungit uirginem ſuam, bene facit: Qui non iungit, melius facit.

Quali Buceri coniugium.

Philippus uero contra laudat Bucerum ſuum, quod prætulit cœlibatui Monaſtico ſuum cum Eliſabeta Moniali coniugium, quod falſiſſime pium uocat, cum ſit re uera impium & ſacrilegum atq; inceſtum, Quantumuis id ægre ferat ac ilia rumpat Codrus iſte. Non enim

poſſum

possum aut debeo propter ipsum mentiri aut aliter loqui quam ueritas habet ac exigit, Impium inquam est, quia uoti fragio fidē Deo prestitam uiolat. Sacrilegū quoque, quia è sacro duxit in prophanum, è monasterio in mundum eā quam sibi illicite copulauit contra omnes leges diuinas & humanas, Diuinas dico, quæ prohibēt prophanari id quod semel Deo dicatum est, ut patet in Leuitico, & iubent seruari uota, ut in Deuteronomio & in Ecclesiaste. Humanas uero tā Imperiales quam Ecclesiasticas, In utrisque.n. prohibetur tale coniugium. Leui. 27. Deut. 23. Ecclesiasti. 5.

Sed ab Imperialibus conatur Bucerum extricare & ab soluere Philippus, sic dicens. Non est igitur ad hanc ætatem accommodanda lex Iouiani, quæ loquitur de virginum collegijs, in quibus nondum erant uitiosi cultus, qui nunc defenduntur. Et raptus ea lex prohibuit, quos Iulianus odio nominis Christiani, concesserat. Hęc satis quidem astute, sed non satis uere dicit, neque sufficienter excusat. Verba namque legis, sic habent. Si quis, non dicam rapere, sed attentare tantum iungendi causa matrimonij sacratissimas uirgines ausus fuerit, capitali pœna feriatur. Non plura sunt huius uerba legis. Quæ autē Philippus addit, in nulla reperiūtur glosa, nec in ullis, quantum'uis amplis consilijs et uoluminibus Iurisconsultorum, sed ex proprio mendaciorum eius penu deprompta sunt, lex.n. illa, nihil loquitur de collegijs, nihil de uitiosis cultibus, nihil de Iuliano. Et Philippus probare non potest, Nos uitiosos defendere cultus, aut Iulianum concessisse raptū, aut de solo raptu loqui Iouianum. Aperte.n. ait. Si quis, non dicam rapere, sed attentare tantum iungendi causa matrimonij. Ecce palam ait, non dicam rapere, Nec uult lex, raptum esse matrimonium cum sacra uirgine. Lex Iouiani Imp. contra Bucerum & ei similes. C. de Epis. & clericis. L. si quis.

Indocte igitur defendit ab hac lege Bucerū Philippus, quia per hanc legem, quæ matrimonium cum sacra uirgine Buc. coniugiū raptus est.

H gine

gine prohibet, ait prohiberi raptũ, Est igit per Philippũ ta le Buceri matrimõiũ rapt⁹. Et quidẽ uerissime, quia ẽ mo nasterio rapuit Monialem seu Deo sacratam uirginẽ Bu cerus, Igitur iuxta legem hanc capitali pœna feriri debet. Et non modo secundum istam, sed etiam secundum aliã, quæ Iustiniani est Imperatoris, In hæc uerba. Raptores uirginum uel uiduarum uel Diaconissarum, quæ Deo fuerint dedicatæ, pessima criminum peccantes, capi tis supplicio plectendos esse decernimus. Quod non solũ ad iniuriam hominum, sed ad ipsius omnipotentis Dei ir reuerentiam committitur. Et adhuc clarius aliam de eodẽ crimine legem statuit in Autenticis, hisce sane uerbis. Si quis rapuerit aut sollicitauerit aut corruperit Ascetriam aut Diaconissam Monastriam, aliamue fœminam uene rabili habitu ornatam: is simul cum sceleris participibus ca pitaliter puniatur. Mulier uero cum proprijs rebus mona sterio recondatur, & custodiatur, ne rursus in eodem cri mine deprehendatur. Ecce Iustinianus aperte scelus et cri men dicit quod falso pium coniugium uocat Philippus.

In eo. titu. L. Raptores.

In Auten. Coll. 9. Consti. ult.

Et omnium ęgerrime fert, à Coloniensibus dici eius modi coniugia incesta, sacrilega, scelerata. Atrox (inquit) oratio est, & pertinet crimen ad omnes nostros Principes & Respub. Nam si esset incesta consuetudo, non minus legibus punienda esset ꝙ parricidium. Graue. n. scelus est incesta coniunctio, & sæpe cladibus publicis punitur, ut Thebanę & Aegyptię historię indicant. Ad hæc Philip pi uerba, quæ non alio mihi uidetur spiritu loqui ꝙ quo de Christo in Iudęorum concilio locutus est Caiphas, re spondeo primum ipsiusmet Philippi uerbis, quæ sic ha bent. Veritas in Ecclesia dicenda est, uel si fractus illabatur orbis. Deinde protestor me non contra Principes & Re spub. sed contra sceleratos calumniatores & desertores Ec clesię Romanæ & Catholicæ ac publice ab utraq; pote state

Atrox oratio de crimine incestus & sacrilegij.

Ioh. 11.

Protestatio.

ſtate damnatos hæreticos, qui ſuos Principes & Reſpub. nequiſſime falſis & impijs cõcionibus ſcriptiſq; ſeducũt, agere ac diſputare.

His ita pręmiſſis dico, Buceri & aliorum Apoſtatarum omniumq;, quicunq; ſacris uirginibus ſeſe copulant, contubernia, non uera eſſe matrimonia, ſed illicita, ſcelerata, ſacrilega & inceſta connubia, coniugij aut matrimonij thoriq; immaculati nomine prorſus indigna. Rideant ſi uefleant Apoſtatæ una cum ſuo inceſtæ turpitudinis patrono, dicenda mihi eſt ueritas. Certe quod illicita ſint, ſatis probatum eſt, cum ſint contra leges & diuinas & humanas. Quod etiam ſcelerata & criminoſa ſint, iam ex ultima Iuſtiniani lege, quæ in ſcelus et crimen ea refert, oſtenſum eſt. Sed & ſacrilega eſſe, ex Leuitico ſupra demonſtratũ eſt. Reſtat igitur ea de inceſtu conuincere. Ad hoc igitur probandum, non fingam ex me ipſo probationes friuolas, ſicut ſępe facit iſte Philippus, ſed utar uerbis probatiſſimorum patrum Canonumq; & Conciliorum, quibus iraſci poterunt Apoſtatæ potius quam mihi, ſi uolunt. Etenim in Concilio Triburienſi (quod Triburię apud Rhenum in Germãia ſub Arnolſo Imperatore celebratum eſt) expreſſis uerbis ita ſtatutum legitur. Virginibus ſacris ſe quoſdam temere ſociare cognouimus, poſt dicatum Deo propoſitum INCESTA foedera ſacrilegaq; miſcere, quos protinus æquum eſt à ſacra coniunctione detrudi. Item. Impudicas deteſtabileſq; perſonas Monachorum atq; Monacharum, quæ abiecto propoſito ſanctitatis, illicita atq; ſacrilega contagione ſe miſcuerunt, & in arbitrium conſcientiæ propriæ deſperatione perductę, de illicitis complexibus libere filios procreauerint, à monaſteriorũ cœtu eccleſiarũq; conuẽtibus eliminãdas eſſe mãdauimus. Sic & in Concilio Aurelianenſi decretũ legitur.

Qualia ſunt Apoſtatarum cõnubia.

Inceſtuoſa coniugia.

In decretis. 27. q. 1. c. Virginibus.

 Siquis

Siquis sacro uelamine consecratam in coniugium duxerit. & post dicatum Deo propositum Incesta foedera sacrilegaq; miscuerit, ut in constitutione Gelasij Papae capitulo. XX. legitur, protinus est ęquum, eos á sacra cōmunione detrudi. Ecce Duo concilia Gelasiusq; Papa, uir sanctissimus & pontifex disertissimus, testantur apertissime, eiusmodi foedera incesta esse & sacrilega. Quibus & Arelatense astipulatur Concilium, uocans eiusmodi foeminarum uiolatores sacrilegos & iuxta Apostolum filios perditionis. Et Augustinus (mitissimus alioqui pater) non dubitat eiusmodi lapsꝰ adulterijs esse peiores. Quid opus est, rogo, ampliori probatione aut testimonio? scriptum est. n. in lege domini, & sacratissimo Christi ore confirmatum. In ore duorum uel triū testium stat omne uerbū.

Deut. 19. Matth. 18. Ex superabundanti tamē addam adhuc unum ex probatissimo Grāmatico Nicolao Peroto testimonium, aduersus Grammaticos istos Theologos, qui Conciliorum autoritati parū deferunt. Est (inquit ille in cornu copię) incestus crimen, quod committitur cum ea, cum qua illicitum alioquin matrimonium fuisset, utputa cum matre, sorore, sacris uirginibus aut alijs huiusmodi. Quid ad hęc dicet tā foedę & conuictę turpitudinis patronus iste?

Quid Incestus.

Vxor Philippi. Dicat nobis palam, si audet, an in corde suo existimet ipsemet, tam iustum fuisse Buceri sua Elisabeta (ut eam nominat) matrimonium, Monachi inquam cum Monacha, ꝙ est ipsius Philippi cum legitima uxore sua, De qua cum ante annos. XIII. falso et calumniose mecum seorsum ac priuatim, cum essemus Augustae expostularet, quasi in meis aduersus ipsius de libero arbitrio foedissimum errorem libellis eam dixerim adulteram. Ego placide respondi, me nihil mali de uxore eius nouisse aut scripsisse. Quod siquid tale in meis foret libellis, id nō à me sed ab alio supposititie insertū et nequiter admixtum esset,

Et com-

comperi postea, id calumniose ab eo esse obiectum mihi, quia in libellis meis non reperitur.

Si autem Bucerus de sua mecum expostulare uellet, nunquid tam placido dignus esset responso? Quin imo diceremei, non mecum, sed cum S. Augustino & Hieronymo atque etiam Ambrosio & Conciliorum Canonibus, atque adeo cum ipso Paulo Apostolo Christi & cum publicis legibus expostula, si uis. Non enim ex me ipso sic scribo aut loquor, sed ex illorũ sententia. Hęc enim sunt uerba Augustini (ut recitat Gracianus) Meliore proposito lapsas, si nupserint, fœminas à castitate sanctiori, quæ uouetur Deo, adulteris esse peiores manifestum est. Sententia autem Hieronymi contra Iouinianum hæc est. Virgines quæ post consecrationem nupserint, non tam adulterę quam incestæ sunt. Quam acris uero sit oratio Ambrosij in Susannam quandam, uirginem corruptam, quæ Deo dicata fuerat, nemo nescit nisi qui non legit. Cesset cesset (inquit) iam uiolentiæ figmentum, cesset ruboris augmentum, ubi totiens membra illa dicata Christo, scelesto mœcho tuis uisceribus polluenda prębuisti. Quã fortis autem & terribilis est eiusdem increpatio aduersus eũ, qui illam uiolauerat? De te autem (inquit) fili serpentis, minister Diaboli, uiolator tẽpli Dei, qui uno scelere duo crimina perpetrasti, adulterium utique & sacrilegium. Sacrilegium plane, ubi uas Christo oblatum, Domino dedicatũ, dementi temeritate polluisti. Quid de te arbitraris perdite pariter ac perditor? qui uas rationabile, consecratum Christo, sanctificatũ spiritui sancto, impie temerasti, polluisti sacrilege, & tui propositi immemor, & diuini iudicij contemptor. Hæc ex Ambrosio responderem. Quale uero responsum ex Canonibus legibusque publicis dandum sit, iam supra comemoratum est.

Restat Apostolus, Cuius hæc sunt uerba ad Corinthios. Nesci-

Vxor Buceri.

27. q. 1. c. Meliore.

27. dist. c. si.

Ambros. contra uirginem corruptam.

Paulus contra Bucerum. ob. Nescitis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in uobis? si quis aũt templum Dei uiolauerit, disperdet
1. Cor. 3. et 6. illum Deus. Item. Nescitis quoniam corpora uestra membra sunt Christi, Tollens ergo membra Christi faciam mẽbra meretricis? Absit. Et rursus. An nescitis, quoniã membra uestra templum sunt spiritus sancti qui in uobis est? quem habetis à Deo, & non estis uestri. Deniq; ad Timo-
1. Timoth. 5. theum sic ait, Adolescentiores aũt uiduas deuita. Cũ enim luxuriatæ fuerint, in Christo nubere uolunt, habẽtes damnationem, quia primã fidem irritam fecerunt. Quid poterit iuste aut honeste ad ista respõdere uel ipse Bucerus, uel incestuosæ turpitudinis eius patronus Philippus?

Philip. ex patrono præuaricator factus. Frustra sane in hoc scelerato crimine fugiunt ad suos Principes & Respub. Quoniã illi eos nullo iure tueri aut excusare ab ipso scelere possunt, nec ueritatem expugnare tandem poterunt, nec tot sanctorum patrum Conciliorumq; & publicarum legum sententiam iuste irritam facere aut reuocare queunt. Videat itaq; Philippus, ne ex patrono præuaricator fiat & accusator suorũ Principum & Magistratuum, quos imprudenter huic admiscet & inuoluit causæ & negocio. Atrox (inquit) oratio est, & pertinet crimen ad omnes nostros Principes & Respub. Quid hoc uel contra me facit? Nos enim de crimine hoc non tã nostram quàm legum & Canonum adeoq; publici iuris tum diuini tum humani proferimus sententiam. Viderint ipsi Principes & ciuitatũ magistratus, qui tam criminosos Apostatas fouent, & subditos suos pessime ab illis tum impiæ doctrinæ uerbo, tũ sceleratæ uitæ exemplo corrumpi sinunt, quid nam respondeant Deo, dicenti. Maleficos
Exod. 22. non patieris uiuere. Item. Qui autem superbierit, nolens
Deut. 17. obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto Iudicis morietur homo ille, et auferes malũ de Israel. Quid respondeant Paulo, dicenti ad

Romanos. Quoniam qui talia agũt, digni sunt morte, nõ solum qui ea faciunt, sed etiam qui cõsentiunt facientibus. Et ad Titum. Hæreticũ hominẽ post unam & secundam correptionẽ deuita, sciens quia subuersus est qui eiusmodi est. Quid deniq; ipsius criminis patrono respondeant, qui palam & publice hanc in eos sententiam proferre non ueretur, quod hoc crimen ad eos oẽs pertineat. Aut igitur uindicent in præuaricatorem causæ, atq; animaduertant in criminosos, aut probent, si possunt, crimen non esse, quod tot testimonijs crimen esse iam supra probatum est. *Rom. 1. Tit. 3.*

Viderit aũt & Maiestas tua. Imperator potentissime. quid Deo, exterisq; nationibus Christiani nominis, atq; etiam posteritati respondeas, si huiusmodi Apostatarũ flagicia impietatesq; & manifesta crimina & blasphemias in tuo Imperio diutius grassari & omnem uitę statum foedare, fideiq; Catholicę rectitudinem & synceritatem deturpare amplius permiseris. Cum tibi præcipue (qui supremam à Deo potestatẽ in Imperio tenes) dicat Dñs. Maleficos ne patiaris uiuere. Nulli aũt sunt sceleratiores q̃ huiusmodi sunt Apostatę, qui non solũ Rempub. seditiosis scriptis et concionibus (grauius q̃ ambo fecerũt Grachi) pturbãt, & aduersus Ecclesiã Dei schismata excitant, & populũ fidelẽ hæresib⁹ inficiũt, atq; criminosa uita sua scandalizãt, et prauis morib⁹ imbuũt, uerũetiã iuuentutẽ pessimẽ corrumpunt per libertatẽ carnis (q̃ falso Euangelicã uocant) & ab antiq̃ obedientiæ & pietatis disciplina in oẽm morũ prauitatẽ & honestioris uitę dissolutionẽ abducunt, uerũ etiã innumeras (Proh dolor) animas per schisma rebellionemq; & hęresim suam ęterno obnoxias reddũt supplicio. Et sicut ipsi ꝓprio (ut ait Paulus) iudicio sunt dãnati, ita q̃ plurimos alios in candẽ damnationẽ secũ & post se trahunt. Time igitur & tu, precor Imperator Auguste, (ut religiosus es Princeps.) Diuinæ legis præceptũ ut exequatis illud *Necessitas Vindicandi in Apostatas incestuosos.*

Rom. 1. ris illud. Qui blasphæmauerit nomen Domini, morte mo
Leuit. 24. riatur, Item. Illud Apostoli. Si quis uobis euangelizauerit
Galat. 1. & 5. præter id quod accepistis, Anathema sit. Et utinā abscin-
dantur qui uos conturbant. Item illud Augustini. Quo-
Aug. epist. 50 modo Reges seruiunt domino in timore, nisi ea quæ con-
tra iussa domini fiunt, religiosa seueritate prohibendo atq;
plectendo? Time etiam huius Philippi uerbum, quod ue-
lut alter Caiphas dicit, non ex sese, sed ex spiritu sancto (à
quo omnis ueritas uelut à fonte emanat) ꝙ incesta con-
suetudo non minus legibus punienda sit ꝙ̃ parricidium.
Dist. 83. c. error. Time deniq; antiquū Canonem Innocētij Papę, huius no
minis primi, qui in decretis habetur, in hæc uerba. Error,
cui non resistitur, approbatur, & ueritas cum minime de-
fensatur opprimitur. Negligere quippe, cum possis per-
turbare peruersos, nihil aliud est ꝙ̃ fouere. Nec caret scru-
pulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit ob-
uiare. Caue obsecro, ne Deus tot animas, quas illi perdūt,
de manu tua requirat, si potestate tua nō prohibueris aut
coercueris eos, ne tot homines ulterius seducant. Cum a-
liorū nemo efficacius ꝙ̃ Imperialis Maiestas tua eos coer-
cere queat. Ecce fatetur ultro Philippus, graue scelus esse
incestam coniunctionem, & sæpe cladibus publicis puni-
ri. Id quod tot iam annis, quamdiu Apostatis in Germa-
nia impune permissus fuit incestus iste sacrilegus, diuersis
cladibus ærumnis & plagis experti sumus, quales profe-
cto ac quantas antea nec uidimus neq; audiuimus nos aut
patres nostri. Cum autem falso iactitet mox in primo
libelli sui Quaternione, se suosq; complices nulla gignere
dogmata noua, sed ueterem & puram Ecclesię doctrinam
illustrare, Velim, nobis ostenderet, ubi aut quādo licitum
in Ecclesia fuerit, Monachis & Monialibus nuptialia post
suam professionem inire fœdera, aut quando ubiue in pa
ne rite per sacerdotem in missa consecrato abnegatum fue

rit cor-

rit corpus Domini,quando aut ubi huiusmodi panis pro
Idolo habitus,&eius cultus,ueneratio,adoratioue Idolo-
latria dicta à quopiam Christiano fuerit, & ego palmam
ei ultro cedam,& silebo deinceps.

Ad reliqua eius blateramenta,quorum quædam nimis
acerbe & calumniose iaculatur nunc in Domino mortu-
um Clarissimę memoriæ & doctrinæ uirum D.Io.Ecki-
um,nunc in Clerum Coloniensem ;quædam uero nimis
blande ac mendaciter de suo Bucero eiusq; uxorcula,de-
functa,deq; liberis ex tali connubio procreatis,deq; suæ se-
ctæ Ecclesijs & doctrinis rhetoricatur & iactitat responde
re amplius me sane piget,atq; etiam pudet,ei ad Maiesta-
tem tuam tot improperare & exprobrare manifesta men-
dacia. Quandoquidem ea quæ alicuius momenti esse ui-
debantur,iam dudum sunt sufficienter confutata. Id ego
postremo Maiestatem tuam supplicissime rogauerim, ut
uel semel uideat legiue audiat aut recitari iubeat compen-
dium. Tum Catalogum fructuum noui eorum Euāgelij,
quem in medio ultimæ Apologiæ suæ scripsit D. Eckius
in Bucerum,atq; paterne considerct,quantum turpitudi-
nis ac deformationis in mores hominum,quantum scele-
ris & impietatis inuexerit in religionem,& quantum ma-
lorum in Imperium Cæsar tuum adduxerit eorum machi
natio & doctrina,quæ antea in Imperio sub gloriosissimę
memorię Imperatoribus, Friderico & Maximiliano,tuis
progenitoribus,non fuerunt,neq; ea permissuri fuissent,
ut pie creditur,licet opibus & potentia Maiestati tuæ pa-
res minime fuerint. Deus Opt. Max. Maiestatem tuam
diutissime conseruet incolumem,& opibus potentiaq; &
rerum gestarum gloria atq; Imperialis & Regiæ Maiesta-
tis autoritate ac pietate indies auctiorem augustioremq;
faciat Inuictissime Imperator ac gloriosissime Princeps
semper Auguste.

Vide In Apologia Io. Eckij V.ij.

AMPLISSIMO SENA-
tui Populoq; Coloniensi Iohannes Co-
chlæus. S. P. D.

1.Corinth. 11. OPortet hæreses esse (inquit ad Corinthi-
os Apostolus) ut qui probati sunt, mani-
festi fiãt in uobis. Deus sane qui summe
bonus est, hæreses, rem pessimam & ani-
marum saluti perniciosissimam, nõ per-
mitteret contra Ecclesiam suam oriri &
grassari, nisi sciret inde bonum procurare. Permisit igitur
& uos Amplissimos Patres Patriciosq; inclytos & religio
sum populum uestrum, hoc præcipue anno ab hæreticis
oppugnari & nouo modo tentari ac tribulari, ut tribulatio
patientiam operetur in uobis, patientia autem probatio-
nem, probatio uero spem, spes autem nõ confundit, ut ait
Rom. 5. idem Apostolus ad Romanos. Quia charitas Dei diffusa
est in cordibus uestris, per spiritum sanctum qui datus est
uobis. Euge euge, serui boni & fideles Domino Deo ue-
Apocalyp. 2. stro, quibus ipse dicit in Apocalyfi, scio tribulationem tuã,
popule meus, quia blasphæmaris ab his qui se dicũt Euan
gelicos & non sunt, sed sunt synagoga Satanæ. Id quod
habetis tenete, donec ueniam, Custodite opera mea usq; in
finem. Vincenti enim dabo manna absconditum, & no-
men nouum scriptum, q̃ nemo scit nisi qui accipit. Digni
estis nimirum nomine honoris nouo, qui in fide Ecclesiæ
constantes permanetis, etiam si grauissime tentati estis no
ua quadam tentatione, qua ab ipso pastore subornati fu-
isse dicuntur omnium rapacissimi, & ad fallendum astu-
tissimi lupi, ut inuaderent ac circumuenirent gregem Do
mini & sanctam ciuitatem Dei.

Sed

Sed præualere non potuerunt. Tum quod in cœlo in numeros habetis apud Deum patronos & Intercessores, quorum gloriosa miraculis & adhuc magis glorificanda in nouissimo die corpora, religiosa apud uos honorificentia, uelut exuuiæ sanctæ et certa charitatis (quę nunquam excidit) pignora, uenerabiliter asseruantur. De quibus per prophetam ait Dominus, Super muros tuos Hierusalem constitui custodes, tota die & tota nocte in perpetuum nō tacebunt &c. Tum etiam quod in terra & intra muros uestros Dei benignitate & gratia habetis multos pios & eruditos uiros, de quibus non potest uobis dici, quod sint speculatores cæci, aut canes muti non ualentes latrare. Viderunt enim uigilanter gladium mortis cum hæretica prauitate uenientem super terram uestram, et cecinerunt buccina. Cleri inquam et Vniuersitatis uestræ contra Bucerum iudicio, quo annunciauerunt populo insidias & fraudes hostium ueritatis & Ecclesiæ. Tum denique quod per multas habetis intra muros uestros Deo consecratas & Christo Domino desponsatas Virgines, quæ Psalmis & canticis Deum die noctuque laudare, & pro ciuitate uestra orare non cessant, quarum præces lachrymasque & suspiria intrauerunt in aures Domini sabaoth.

1. Corinth. 13.
Esaie. 62.
Iacob. 5.

Ideo talia non euenerunt in ciuitate uestra, qualia per nouos Prædicatores contigerunt tum in plærisque Imperij ciuitatibus alijs, tum uero maxime in ciuitate Hildesheimensi, quæ nuper ab ipso Imperatore nostro in speciali ad Magistratus & senatum illius ciuitatis Edicto, non sine perpetuo Impiorum opprobrio et infamia, ad longum commemorata sunt. O fœlix igitur Colonia, intra cuius mœnia tot sanctorum apud Deum præualuere preces, ne tam barbara & immanis in ea fieret templorum & Monasteriorum (quæ & plurima & pulcherrima uobis sunt) uastitas religionisque antiquæ & cultus diuini

Hildesheim.

prophanatio & abolitio, qualis & quanta in plerisq; alijs ci
uitatibus per sceleratissimos cõcionatores nouos introdu
cta ac perpetrata est. An nõ plus dedecoris & iustæ redar-
gutionis accepit iam ex uno Cæsareæ Maiestatis Edicto
Senatus populusq; Hildesheimensis, quã accipere queat In
clyta & sancta Ciuitas uestra ex Centum Milibus conui-
ciorũ & calumniarum libellis, quos Melanchthon, Buce-
rusq; & oẽs eorum complices cõtra uos prudẽtissimos spe
culatores & Reipub. Custodes fidelissimos scribere ac di-
uulgare poterũt: Quisquis eñ ab eis pietatis nomine lau-
datur, is bonis omnibus de Catholica fide & religione me
rito suspectus habetur, fœlices igitur uos & oẽs, quicunq;
propter religionẽ & fidem ab illis uituperanť. Vnius nãq;
Cæsareæ Maiestatis testimoniũ atq; iudiciũ, apud bonos
& rectos corde p̃ponderat ac plus ualet, in omnibus Chri
stiani Orbis regnis & prouincijs, quã ualeant oẽs criminosi
& calumniosi nugacissimorũ hæreticorum libri. Quorum
uituperium laus uestra est. Cum igitur in tota Germania
nulla sit urbs, quæ uel plures habeat sanctorũ reliquias, uel
sanctorũ uenerationem celebrius prosequatur ac peragat,
quã habet et colit Amplissima ac fœlicissima Ciuitas uestra,
operep̃cium est omnino, ut huic sextæ Philippicę meę ad
iungantur breuiusculi Tractatus Duo, quos Duo doctis
simi & religione uera syncerissimi Theologi, Michael Ve-
he Præpositus Hallensis & Arnoldus Vuesaliensis Cano-
nicus Coloniensis, ante paucos annos pie in Dño mortui,
post se nobis reliquerunt. Ex qbus lector clarius intelligat
& defendere sciat pietatẽ Ciuitatis uestrę, q̃ antiqua & lau
dabili cõsuetudine In sanctorũ ueneratione, religiosa sedu
litate occupari solet, ubi populus frequentissimo cœtu fe-
stos sanctorũ dies obseruat & fusis p̃cibus ad cumbas & re
liqas sanctorũ p plurima tẽpla deuote transiens procũbit,
sic edoctus nimirũ iã olim à sanctissimo Episcopo uestro
S. Seueri-

S. Seuerino, qui beatorũ Martini, Ambrosij[que] & Seruatij temporibus uestræ præfuit Ecclesiæ, & urbem uestram crebro pedibus perambulans sanctorum Martyrum loca religiosissime uisitauit, sicut & de Theodosio, religiosissimo pariter ac uictoriosissimo Imperatore (cuius tempori bus floruit ac pręfuit populo uestro Seuerinus ille) ueraci ex historijs narratione scripserunt in Iudicio suo nuper ij, qui à Clero & Vniuersitate uestra ad scribendum contra Buceri nouum & impium librum fuerant deputati. Deus Opt. Max. conseruet uos omnes, precor, in ea fide & religione, quam à sanctis patribus Episcopis uestris antiquis fœliciter accepistis, ac per tot sæcula sine intermissione firmiter tenuistis, in qua & adhuc statis, per quam & saluari oportet omnes, quicun[que] à Domino salutem sperant et acquirũt. Quoniã uero Melanchthonicus iste Philippus in sua cõtra Coloniensiũ iudiciũ, responsiõe. crebro repetita falsitate gloriatur, in secta sua uerã & Catholicã esse Ecclesiam: non abs re, opinor, fuerit, & alium adiungere huic Philippicę libellum paruulum, quem ante Triennium una cũ Arnoldi supradicti tractatulo ædidi Moguntiæ, Quæ sane omnia ea fide & intentione à uobis, laudatissime Reipub. moderatores & Popule Deo deuote, accipi uelim, precor[que] & opto qua ego scripsi, at[que] in obsequiũ memoriam[que] uestri (apud quos in Academia publica multis annis Philosophiæ ac Theologiæ operam dedi) nunc euulgo. Bene ualete uiri Clarissimi, & quod ultra Mille annos fideliter tenuistis, constanter seruate, & custodite us[que] in finem tenentes quod habetis, ut nemo accipiat coronã uestrã, et nos Catholici de uobis semper possimus uere dicere et scribere illud Dauidicum, Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei. Amen.

Seuerinus. *Apoc. 3.* *Psal. 86.*

Idẽ qui supra Io. Cochlęus à Vuẽdelstein
Academię uestrę alumnus antiquus.

TRACTATVS DECIMVS, EX ASSERtione Michaelis Vehe, sacræ Theologiæ Doctoris, De Inuocatione et Intercessiõe sanctorum. Ca. I.

ADVERSARII, QVO SE VEros scismaticos ubiq; probent, etiam in hoc articulo à sancta dissentiũt Ecclesia. Et ne sui scismatis nullã uideantur habere causam, suo errori primo hunc prætexunt fucum, q nulla scriptura possit probari, à uiuis rogandum esse diuorum patrocinium, contẽduntq; eorum cultum absq; diuino præcepto, sine promissione & exemplo esse in Ecclesiam introductum. Deinde quo se diuini honoris strenuos assertores ostentent, queruntur in hoc sanctorũ cultu non solum sanctorũ inuocationem requiri, sed etiam ipsorũ merita applicari pro alijs, Non secus ac merita Christi, atq; nos, sanctos non solum deprecatores, sed etiam propiciatores facere. Sicq; Christi proprium honorem transferre ad sanctos. Deniq; & hoc addunt: per hãc doctrinam, etiam si uerecundissime doceatur, sanctos esse mediatores intercessionis obscurari officium Christi: & fiduciam misericordiæ, debitam Christo, transferre in sanctos. Obprobrant quoq; nobis, q ea, quæ solius dei sunt, sanctis tribuamus, dum docemus, eos animi nostri uota desideria, suspiria, cogitationesq; cognoscere, sicq; posse cordium secreta scrutari. Dicuntq; id nostram effecisse doctrinam, ut publica persuasione, in locũ Christi, beatissima uirgo successerit. Pleraq; alia id genus nobis obijciũt. Adferunt etiam autoritates nonnullas ex scripturis, quibus euincere nituntur, hunc cultum nõ esse in Ecclesia ferendum. NOS uero paululum illorum argumentis dilatis, diuino freti auxilio, & sanctorũ patrocinio adiuti, diuersum docebimus, palamq; ostendemus, ipsorũ

doctrinam

doctrinam de hoc sanctorũ cultu, erroneam, atq; ab omnibus pijs illorum cultoribus aspernandam & detestandam esse. Ne uero ordine careat hic tractatus, Primo de ipsorũ pro nobis interpellatione differemus. Deinde docebimus uiuos illorum posse iuuari suffragijs. Post hæc uero ostendemus, ipsorum merita in nostrum cedere commodũ. Postremo autem probabimus, citra superstitionem posse à nobis eorum rogari patrocinium.

SANCTI AD DEVM PRO NObis precatores accedunt.

PRIMVM IGITVR NON Alio doctore, q̃ diuo Paulo docet, qui scribens Corinthijs, docet, charitatem nunq̃ excidere. Siue (inquit) prophetiæ euacuabuntur, siue liguæ cessabunt, siue scientia destruetur, charitas nunq̃ excidit. 1. Cor. 13. Perinde ac si dicat: Quocũq; perrexerimus, si modo in articulo profectionis nobiscũ fuerit, tã q̃ indiuiduus comes nos comitabitur. Neq; excludetur ab illa beatitudine, neq; quidq̃ illi substituet, quin poti⁹ sic perficietur, ut quę pro hac uia integra omnino esse nequeat, omnib. numeris reddat absoluta, Nempe sublatis omnib. cõtrarijs affectionibus, quę eius progressum impediebãt. Cũ enim dulcissimo affectu nos iunget deo, ut penitus unus spiritus simus cũ illo, nõ iam solũ in expectatiõe, sed omnimoda fruitione suæ bonitatis. Proinde cum sit res uiuacissima, nullusq; ignis ęque actiuus sit: tantum abest, ut aliquo pacto possit cessare, quin incessabiliter in deum feratur, & in proximũ illius quidem gloriam & honorem ardens, huius aũt commodum. Quis uero dubitat, eam quo magis est consumata & perfecta, tanto magis reddi officiosam? Nisi quis dicat, eam in hoc perfici, ut cũ prius pro sua uirili fuerit officiosa

ciosa,iam reddatur desidiosa:quin et longe infra hominũ mortaliũ charitatem detrudatur. Hoc uero tam charitati repugnat,ꝙ igni,ne sit calidus. Cum igitur eius opus peculiare ultra dilectionis officium sit,beneficam se exhibere erga alterum:quodq; ipsa nequeat prestare,ab alio maiore rogare, quo leuetur proximi miseria,uel eius salus promoueatur:fit cõsequens,beatos in patria suis iuuare nos suffragijs,quatenus status illorum beatus hoc patitur. Indignum enim est,beatis hæc ascribere suffragia erga nos,quę statui & fœlicitati eorum repugnant, qualia non sunt intercessionis suffragia.

SECVNDA RATIO.

Heb. 6. 1. Iohan. 11. AD hæc,sicut Paulus ad Heb. 7. et Ioannes in sua Canonica testantur,Christus dominus noster etiam ꝑ nunc precator pro nobis ad patrẽ accedit. Quid igitur obstat,ne & illius membra cum illo iam glorificato idem faciant,ut capiti suo se conforment? Aut facti sunt ne deteriores permutatione huius uitæ in ęternam,ut hic potuerint multis obnoxij turbationibus,deq; propria salute etiã dum solliciti pro alijs rogare, modo ab his liberi post triũphos et uictorias non possint? Præsertim cum non ignorent,eos quos relinquunt in hac uita,opus habere illorum precibus et patrocinijs,Nimirum,ꝙ sibi non sufficiunt in hac uita,etiam si hominum priuata facta ignorarent.

REFELLITVR CAVILLATIO. aduersarij.

Iohā. 12. Luc. 11. SED hic reclamant quidam, obijcientes Christi preces esse potentissimas, idq; non latere sanctos. Ideoq; eos à precando abstinere,ne iniuriam faciant Christo,quasi scilicet reputent illius preces esse insufficientes,sitq; ille impotens, ad exorandum patrem. Nos autem respondemus: Scire utiq; sanctos,esse Christi preces efficassimas. Atqui

non

non consequitur, Ergo ipsi orare pro nobis cessant. Alioqui num id ignorabant, dum hic essent, ut alius pro alio oraret? Aut latebat hoc Paulum, dum toties rogabat fratres per epistolas, ut pro se orarent? Sciebant plane, Christum non posse non obtinere, quicquid apud patrem postulasset, Nouerant sufficientes & efficaces esse eius preces, & tamen inuicem pro se orabant, ac uicissim alter alterius precibus iuuari postulabant. Non quasi Christo diffidentes, sed potius eius seruientes ordinationi, ipsiusq; implentes mandatum, quo mandauit unicuiq; de proximo suo: uolens scilicet, ut singuli singulis sua cõmunicent bona: singuliq; singulorum in se recipiant onera, ac alius alij porrigat manum. Et quod ipse prȩstare non potest, hoc ab illo impetrare contendat, à quo omne datũ optimũ, & omne donum perfectum descendit, nimirum, à patre luminum. Eccle. 17. Galat. 6. Iacob. 1.

TERTIA RATIO.

NE uero lubricæ anguillæ hic elabantur, reperta aliqua rima, dicantq; diuersam esse rationem uiuorum et defunctorum; legem autem illam de mutuo se precibus & auxilijs iuuãdo, ad solos uiuos spectare, nihil simile esse de illis, hanc uitam excedentes: in aliam transeunt coloniã qui uita et cõuersatione remotissime à uiuis separãtur. Ad Paulũ nobis regrediendũ est, qui. 1. Cor. 12. et alijs quibusdam locis, corpus Christi misticũ naturali corpori nõ absimile esse describit. Queãdmodũ enim naturalis corporis membra sunt cõnexa, ut unius uis, prȩsertim superioris, in alterius cõmodũ transfundatur: Estq; omniũ unus uitalis spiritus, mutuũ obsequium, cõmune gaudiũ in prosperis, idemq; dolor in aduersis: sic sane omnes sumus unũ Christi corpus misticum, singuli membra ad inuicem, ab uno capite dependentes, siue in fœlicitate, siue adhuc in uia. Rom. 12. 1. Cor. 12.

K Etsi

Etsi enim secundum status conditionem beati à nobis di-
Cant. 6. stent, ex utrisque tamen una constat Ecclesia, quae est unica Christi sponsa, una columba. Cõmunicant enim nobiscũ in illis, quae foelicitati illorum nõ repugnant. Nemo enim
1. Cor. 6. 8. dixerit, sanctos nobiscũ flere, aut dolore, aut simile aliquid
Coloss. 1. Cęterum unum eis nobiscũ caput, unus dominus, unus
Ephes. 2. 4. 5. spiritus, una merces, quam nos expectamus, ipsi possidẽt,
Luce. 22. Eadem refectio, unũ exercitium, charitatis, laudis, gratia
Psal. 83. rum actionis. Itaque cũ non desierint esse membra, neque con sentaneum est, defunctos esse membrorum officio erga il los, qui eorum indigent auxilio. Quibus sane et nos ingra ti esse non debemus, sed officiose respondere, gratiarum
Psal. 150. actione, honore, & laude. Deũ enim in sanctis, & sanctos in deo laudare conuenit. Mors igitur etsi mutet statum ho minum, nõ tamen membrorum connexionem soluit, uel charitatis officijs priuat. Proinde nihil iniurię Christo irro gatur, si sancti cũ Christo simul ad patrem pro nobis pre- catores accedant. Immò diuinae (ut diximus) subseruiunt
Iohan. 1. ordinationi, qua deus statuit, ut omnia unius corporis mẽ-
Coloss. 1. bra ab influxu unius pendeant capitis, & simul sibi sic co- hęreant, ut alterum alteri ad salutem cooperetur, nihil prò hibente foelicitatis statu. Cum & angelici spiritus sint bea ti, nihilo tamen minus nostram procurant salutẽ. Omnes
Heb. 1. enim sunt administratorij spiritus, missi in seruitutẽ, pro- pter eos, qui haereditatem capiunt salutis, iuxta Paulum. Quin et orant pro nobis: quod uidetur indicare id, quod
Apoc. 8. Ioannes scribit in Apocalypsi, dum dicit: Ascendit fumus aromatum de orationibus sanctorum, per manum angeli, in conspectu domini. Quid enim est, per manum angeli, preces in conspectu domini ascendere? An ignotae sunt deo, ut eas per creaturam creatori oporteat notificari? Ab sit tam ridicula & impia cogitatio. Sed repręsentare dicun tur angeli, quando deo supplicant, ne nostras ad se porre-

ctas

ctas preces repellat. Hoc ipsum etiam ex primo capite Zachariæ liquet, ubi palam prophete testatur, pro ciuitate Ierusalem orasse angelum, his uerbis: Vsq; quo tu non misereberis Ierusalem: &c. Quid: Nam Ieremias propheta, cũ tamen esset im limbo adhuc, legitur pro populo dei et ciuitate sancta orasse: idq; multum. Quod si quis irrideat, et dicat, hunc librum non esse in Canone Bibliæ Habraicæ, quemadmodum indicat Ieronymus in prologo, quem uocat galeatum Respondemus primo, Nos nihil morari eorum risus, qui nihil aliud, q̃ risus, ronchos, et maledicta norunt. Deinde q; quamuis non sit in canone Hebræorum. non tamen sequitur, ideo falsa esse, quæ in eis scribuntur Alioqui & sacra Euangelia falsa erunt, quiá Iudæi ea non recipiunt in suum canonem. Recipimus autem testimonia ex his libris, quoniam Ecclesia eos recepit, nõ quia Iudæi recipiunt, uel reijciunt. Idq; autore diuo Augustino libro. 18. de ciuitate dei, ca. 36. Si igitur hic pro populo dei orauit, quanto magis beati id pro nobis facere possunt:

Zach. 1. 2. Mach. 15. Augustin.

QVARTA RATIO.

QVis autem omnino dubitauerit, sanctis esse curam pro nobis, si perpenderit epulonem illum olim diuitem in inferno orasse pro amicis, ne & ipsi in eum locũ tormentorum uenirent, in quo ipse erat: Quod etiamsi parabolice scriptum esse largiamur, non tamen inde fit consequens, q; mortui etiam damnati rogare non possint: nõ q; damnatis aliqua ad nos sit dilectio, aut tantopere nostram salutem exoptẽt: sed ne illorum peccatis nos corrupti, illis nostra imputentur peccata, sicq; eis fiat acerbior pœna. Cum ergo sanctis fiat gaudium ex nostra ad ipsos adnumeratione, quis dubitat, eos pro nobis orare: An non orarent pro illis, quis sciunt esse cohęredes et domesticos dei,

Luc. 16. Ephes. 2.

Heb. 11. ſeſeq̃ nõ ſine nobis conſumari, iuxta Paulum. His omni-
bus addendum, orthodoxos hanc doctrinam prædicaſſe:
Origenes. neq; recenter inuentam, cum eam tradiderint ex ſacris lite
Ieronym. ris, Origenes, Ieronymus Chriſoſtomus, Gregorius, Au
Chriſoſt. guſtinus, Bernhardus, cumq; illis plurimi alij.
Gregor.
Auguſtin.
Bernhardus.

SANCTORVM MERITA NOBIS profunt. Caput. II.

IAm uero, ut ſecundum aggrediamur, nõ lateat lectorem, hanc ſanctorum interceſſionem fieri bifariã, affectu ſcilicet, et meritis. Affectu pro nobis quaſi uoce quadã orant. Sua uero merita nobis ad noſtrum commodũ prouenire largiuntur. AT uero hęc in noſtrũ cedere commodũ, nũc ſcripturis oſtende-
1. Corinth. 8. mus. Primũ de uiuis, mox de defunctis. DE uiuis ſcribit Apoſtolus ſecunda Cor. 8. ad eleemoſinam eos inuitans. Veſtra, ait, abundantia illorum ſuppleat inopiam: ut & illorum abundantia, ueſtræ inopiæ ſit ſupplementum, ut
Theophilactus. fiat ęqualitas, VBI interpretes, Theophilactus, diuus Tho
S. Thom. mas, ac reliqui, expreſſe docent, ideo adhortatos eſſe Corinthios ab Apoſtolo ad ferendam opem Ieroſolymitis, ut ipſorum fides & pietas ipſis ſubueniret & reſarciret ac ſuppleret, ſi quid forte in ipſis diminutũ eſſet. Euidẽtius quoq;
Coloſ. 1. de eadem re ad Coloſſ. ſcribit cap. 1. Nũc gaudeo in paſſionibus pro uobis, et adimpleo ea, quę deſunt paſſionũ Chriſti in carne mea pro corpore eius, quod eſt Eccleſia. Quæ uerba non in hunc modum ſunt accipienda, tanq̃ mors Chriſti non ſuffecerit pro ſalute totius mundi: Sed q̃ una ſit afflictio capitis & membrorum, principis & uicariorũ, quæ quo copioſior, hoc magis redundat in cumulum no-

ſtræ

stræ salutis. An non expresse Pauli meritum in commodum dicitur cedere uiuorum? SED his contenti, quamuis plura congeri possent testimonia, ad defunctos transeamus, ostendamusq́ merita ipsorum uiuis in bonũ cessisse. Gen. siquidem xxvi. deus benedicens Isaac, Dabo (inquit) poteris tuis uniuersas regiones has, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, eo quod obedierit Abraham uoci meæ, & custodierit præcepta et mandata mea, et ceremonias, legesq́ seruauerit. An nõ deus his uerbis apertissime nõ solum gratiosum pactum, quod cum Abraham iunxit, sed & promptam Abrahæ obedientiam, præceptorum custodiam, ceremoniarumq́ obseruãtiam pro causa reddit, ob quam sit benedicturus Isaac? Cesserunt igitur illius merita in huius cõmodum. SED & iiij. Reg. cap. xix. ad Ezechiam deprecantem pro Ierusalem, sic loquitur: Protegam et saluabo urbem hanc, ꝓpter me, & seruum meum Dauid. Ecce et hic merita sancti & fidelis Dauid in commodum cesserunt Ezechiæ et toti Ierusalem. QVIN & iij. Reg. xi. dominus Salomoni ob alienigenas mulieres, relinquenti se, comminatus est regni scissuram, addens: Veruntamen in diebus tuis non faciam illud, propter Dauid patrem tuum, de manu filij tui scindã illud. Nec totum regnum auferam: sed tribum unam dabo filio tuo, propter Dauid seruum meum, et Ierusalem, quam eligi. Et hic Salomoni deus pepercit propter merita Dauid. Gen. 26. 4. Reg. 19. 3. Reg. 11.

VNDE & Ecclesia merita sanctorum in oratione recensens, deum obtestatur, quasiq́ commune facit, ut ob merita illa gloriosa, quibus ipse et promisit & reddidit mercedem, dignetur ad postulationes eius annuere. Sic & in Cantico graduum: Memento domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius. Psalm. 131.

Si igitur merita Abrahę, Isaac et Iacob Dauid, ac aliorum pro-

Exod. 32. rum proferunt, ut quibusdam placatus sit, sicut Israhelitis pro reatu uituli; quibusdam, ut benedictionẽ copiosiorem cõsequerẽtur: quis negauerit merita deiparę uirginis, apostolorũ, ac tot martyrũ & sanctorũ nobis prodesse, uel ut pœnam effugiamus, nostris debitã peccatis, uel gratiam uberiorem cõsequamur? QVOD si cõparatio fiat patriarcharũ cum diua uirgine & apostolis, nemo ambiget, eos ab illis, longo relinqui interuallo, ut si aspexerit deus ad illorum merita, utiq; & ad illorum misericors respiciet.

HAVD quãq; tamen negauerimus, accepisse sanctos omnes cumulatius pręmium, q̃ meruerint quęcunq; charitatis opera, quæ hic exercuerunt: Ex hoc tamen non inferri, sanctorum merita nobis non posse cõmodari. Longe nanq; diuina liberalitas humanam superat. Et tamẽ fit aliquoties, ut si miles quispiam aliquo insigni & strenuo opere demereatur principem, seu ducem suum, nõ solum remuneretur ipse, uerumetiam tota posteritas illius, aliq̃ principis huius benignitatem sentiat. Quid igitur prohibet quo minus sanctorum merita in nostrum cedant commodum, ex diuina liberalitate, quamuis sint supra modũ remunerata?

HINC igitur manifestum, sanctorum merita nobis prodesse: ut interim taceamus, quod quidam sancti & nõ incelebres doctores dicunt non impie, plurimos sanctorum ex operibus suis, quatenus satisfactoria sunt, non nihil residuum habuisse, quod in paritoriam Ecclesiæ sit reportatum in totius Ecclesiæ salutem & commodum. Opera enim sanctorum & meritoria & satisfactoria esse, manifeste scriptura testatur. Innumeri enim sunt, qui longe grauiores erumnas pertulerunt, q̃ ad suorũ suffecisset expiationem delictorum. Et primum quidem id ambiguũ esse nemini potest, quantum ad gloriosam Christi genitricem, quæ næuo quouis & labe caruit peccati. A ttamẽ innumeras,

numeras,eaſq; acerbiſſimas,ſuſtinuit moleſtias,quæ ſane patientiæ merita non inanitatem tranſierunt. Fuerunt & alij,qui letalibus criminibus caruiſſe creduntur, ut Ioannes Baptiſta: item & Ieremias. Et ipſi tamen clades ac calamitates innumeras ſunt ꝑpeſſi. Qui tametſi omnes ſupra merita ſint remunerati,ueruntamen ſinedubio putamus, id quod in erumarum perpeſſione erat ſatisfactorium, nō penitus in aëra euanuiſſe. Nihil igitur eſt,quod aduerſarij cauillantur, niſi ſonus, & uacuus ſtrepitus uerborum. PERPERAM enim hinc colligunt, ſanctos Chriſto æquari à nobis. Si enim hoc eſt æquare ſanctos Chriſto, docere,confitendum eſſe, eorum meritis noſtram poſſe promoueri ſalutem,periculoſiſſime tota erat Eccleſia,credens ſanctorum communionem. Dum enim hoc credit, confiteatur neceſſe eſt, ſingulorum bona ſingulis poſſe commodare,& in ſalutis promotionem cedere.

Luc. 1. Ierem. 1.

NON EST INVTILE, SANCTOrum rogare patrocinium. Cap. III.

POſtremo autem,quod inuocari poſſint, demonſtrandum eſt. Rurſus ergo nobis in primum locum aduocetur Paulus, qui nouit munitiones deſtruere, extollentes ſe aduerſus ſcientiam dei, & ueræ pietatis. Is ſcribens Romanis, cap. xv. Obſecro (inquit) uos fratres, per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum,& per dilectionem ſpiritus,ut me laborantem adiuuetis orationibus ueſtris pro me ad deum, ut liberer ab incredulis in Iudæa. Idemq; ſcribit Theſſalon. Colloſſ. ac alijs. Quod ſi apoſtolus tantus non eſt ueritus, rogare, orationem fieri pro ſe, ab illis, qui fortaſſe in peccatis erant aliquibus, & gratia & miſericordia egebant, nec diffidit, ſe poſſe illis adiuuari, nos timebimus,

2. Corinth. 10. Rom. 15. 1. Theſſ. 3. Coloſſ. 4.

bimus, rogare sanctos iam praesentes cum Christo, ut pro nobis intercedant? An minus ualent, qui in coelo, quam qui in terra? Cum illi exuti miseria, hi autem adhuc peregrinantur à domino. Deinde autem nonne scriptura ueteris testamenti idem insinuat, dum in libro Iob tres amici eius, contra quos iratus fuerat dominus, iubentur ire ad seruū Iob, ut pro illis oret, sicque indulgeat eis deus?

Iob. 42.

AT hic rursus obstrepunt callidi nostri: Dissimilis (inquiunt) ratio est uiuorum & defunctorum. Viuis quidē loqui possumus, ipsis animi nostri significare affectus: Sed diuis quis unquam locutus est? Quis certificat nos, illos nostras audire preces? Frustra uerò quis rogat quempiam, quem dubitat audire. Respondemus ad haec. Si spectetur naturalis cognitio sanctorum, fatemur eam ad cogitationes cordis, eaque quae in animi recessu latent, non posse pertingere. Solus enim deus est, qui scrutatur renes & corda, cuique nihil occultum. Caeterum praeter cognatam notitiam, alia est, quam beatus Augustinus matutinam uocat, qua scilicet beati cognoscunt uerbum, & in uerbo res. De qua Psalm. In lumine tuo uidebimus lumen. Et Paulus 1. Corinth. 13. Nunc per speculum & in enigmate, tunc autem facie ad faciem. Et 1. Ioh. 3. Cum apparuerit, similes ei erimus: & uidebimus eum, sicuti est. Quamuis autē haec cognitio multo praeclarior sit prima, multoque latius porrigatur: neque tamen omnia beati per illam cognoscūt, eo quod diuina essentia comprehendi nō possit. Sitque speculum uoluntarium, quod non omnibus eadem repraesentat. Attamen à nullo beatorum occultat, quod ad ipsius gloriam spectat, seu honorem, uel beatitudinem, cū id eius derogaret perfectioni, quae absolutissima est.

Hiere. 11. 17.
Augustin.
Psalm. 35.
1. Corinth. 13.
1. Iohan. 3.

ES T uerò ille beatus, qui hoc quod recte uult, habet, (ut Augustinus inquit) Vnde cum nulla beatis desit recta uoluntas, utique cognoscere uolunt, & appetunt, quod ad ipsos

Augustin.

ad ipsos pertinet. Pertinet autem ad ipsorum gloriam, ut auxilium indigentibus præbeant ad salutem. Sic enim dei cooperatores efficiuntur, quo nihil est diuinius, teste Dionisio 3. Cap. cœlestis Hierarchiæ. Congruit ergo, ut illorum habeant cognitionem, quibus à nobis prouocantur, ut cooperatores fiant. Talia uerò sunt uota & oratiões hominum, qui ad ipsorum confugiunt auxilia. Dionisius.

SICVI uerò hęc non satisfaciunt, cogitet, angelis & animabus beatis communem esse sollicitudinem, & communem curam nostræ salutis, quemadmodum & communis est charitatis dilectio, qua nobis suis commembris ita afficiuntur, ut & nobis bene uelint, & bene faciant, iuxta quod prædiximus.

AD hæc reputet secum, communem ipsis esse diuinæ essentiæ uisionem. Inde enim facile cognoscet, si angeli cognoscũt nostra uota & desideria in uerbo illo, quod sit eadẽ ratio de animabus beatis, cum nihil disseparet hic angelos ab animabus beatis. Nam non postrema ratio reuelationis talium uotorum et desideriorum, quibus pro ipsorum suspiramus patrocinio, est, ut hæc eis in gaudium & beatitudinis cumulũ, nobis uerò in commodũ cedat, dum per hanc ipsis patrocinandi præstatur occasio pro nostra salute.

PORRO angelicos spiritus sua cognitione penetrare usque ad interiora animi, hinc claret, quod de nostra conuersione ad deum, & pœnitentia gaudent. Hæc autem in secreto cordis agitur: licet etiam quosdam externos exigat actus. Igitur cum omnes sancti pariter cum angelis unius sint corporis membra, nostramque salutem diligant, & cupiant promouere, æque atque illi, consentaneum est etiam eos cognoscere nostras preces. Luc. 15. Colloss 2.

QVOD si etiam fingamus, latere illos preces nostras gemitus & suspiria, non tamen consequitur propter hoc eorum non esse rogandum patrocinium. Etsi enim ad eos

L frustra

frustra porrigeretur oratio, si ad illorum non perueniret noticiam, liceret tamen deum rogare, quatenus faueret, nos eorum intercessiõe iuuari. Id quod Ecclesia in plerisq; orationibus consueuit, dum rogat, ut sanctorum patrociniis adiuuetur, scilicet intercessionis, & meritorum.

DVPLEX MODVS ORANdi sanctos.

PROINDE duplex ab ecclesia proponitur modus orãdi sanctos. Vnus quo oratio ad ipsos sanctos porrigitur, quẽ modum ipsa in letaniis obseruat. Alius, quo ad deum porrigitur oratio, ut nobis sanctorum preces & merita prosint. De hac re multa olim Lutherus in praeceptorio suo contra Pigkardos prodidit, quae sui discipuli aut ignorant, aut studiose praetereunt: aut, quod est uerisimilius, quod olim ut uerum, cum suo doctore defendebant: nunc tanq; superstitiosum damnant. Atq; hoc plane est, quod Salomon ait, Impius facit opus instabile.
Prouerb. 11.
Quod si quis cum illo conuiciis certare uellet, quis non uidet, aeque in illum dici posse ea, quae recte in Pigkardos expuit? Sed satis est, quod iuxta Pauli uocem, proprio sit iudicio damnatus, semper in peius proficiens.
Tit. 3.

CONFVTATIO OBIECTIOnum. Cap. IIII.

SEd nunc eorum audiamus rationes, quibus probare contendunt, sanctorum nõ esse rogandum patrocinium. PRIMO autem hoc nobis obiiciunt. Hac inuocatione diuorum, obscurari Christi officium, & fiduciam misericordiae debitam Christo, transferri in sanctos, atq; per hunc modum plurimum diuino derogari honori. AD hęc aũt respondemus.

Primo,

Primo, penitus nihil diuino decedere honori, per hoc, quòd à sanctis patrociniū rogamus intercessionis. Deo enim summum seruamus honorem: eumque solum pietate, latria, fide, spe, & charitate colimus, iuxta modum supra dictum: nec quencūque sanctorum in hoc cultu parem ei facimus.

SECVNDO, cōfitemur Christum potentissimum esse aduocatum: nec credimus talem eum esse pontificē, qui non possit compati infirmitatibus nostris: quippe qui per omnia temptatus est pro similitudine carnis absque peccato, ut ex his quæ passus est, misericordiam disceret. *Heb. 7.* *1. Iohan. 2.* *Heb. 4.*

TERTIO, scimus ipm esse, de quo scriptū est, Esa. xi. In die illa stabit radix Iesse in signū populorum, ipm gentes deprecabuntur. Item Psal. xliij. Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis. Et rursus, Psal. lxxxi. Et adorabunt eum omnes gentes terræ. Et iterum. 1. Ioh. 2. Filioli, non dico ut peccetis: sed si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum. Et ipse est propiciatio pro peccatis nostris. Credimus etiā inuenire auxiliū omnes, quotquot in fiducia thronū gratiæ eius adeunt, eius rogantes patrocinium. Ea propter annitimur pro uiribus, iuxta nobis datam gratiā, dum patrem in nomine eius rogamus, ut quantā possimus, ad thronū gratiæ fiduciam afferamus: conscij tamē, tum infirmitatis fidei nostræ, tum propriæ indignitatis: nostrisque iusticijs et meritis diffidentes, etiam ad sanctos dei conuertimur, rogantes illos, ut nobiscū ad deum precatores accedant, quo fiat, ut multorum precibus nomine Christi exoratus pater, largire dignetur per Christū, quod postulamus. Atqui hoc non est in sanctos transferre gloriam Chri, aut illius obscurare officium: Non enim ita sanctorum intercessione utimur, ut Christi negligamus patrociniū. Immò hoc magis illud honoramus, quo amplius efficere satagimus: ut nō solum à nobis peccatoribus, sed etiam ab angelis, & *Esa. 11.* *Psalm. 41.* *Psalm. 81.* *1. Iohan. 2.*

reliquis sanctis, ac cœli ciuibus, pater in nomine eius ore-
tur. INGENS enim honor Christi est, q̃ in eius nomi-
ne etiam beatorum ecclesia patrem precatur: atq; per illum
impetrari posse rogata confidit. Aduersarij uero somniāt,
quasi nos neglecto Christo, ad sanctorum confugiamus
patrocinium, qui nihil minus quam hoc facimus.

HABEMVS deniq; in hoc sanctorum cultu ratio-
Rom. 12. nem admirabilis ordinis diuinę sapientiæ, quę mistici cor
1. Corinth. 12. poris Christi membra (ut prædiximus) ea lege uoluit esse
connexa, ut quantum ad gratiæ & gloriæ attinet influxũ,
Iohan. 1. pariter omnia ab uno penderent capite Christo, de quo
scriptum est: De plenitudine eius omnes accepimus. Cæ-
terum quo ad alia consequendæ salutis suffragia, singuli
singulorum essent comparatores, iuxta apostoli doctri-
nam, Rom. 12. & 1. Corinth. 12.

CAPVT QVINTVM.

DEinde etiam ex Christi & Apostoli uer
bis hanc ueritatē impugnāt. Paulus e-
1. Timoth. 2. nim Timotheo scribens, affirmat, unũ
esse mediatorem dei & hominũ, inqui-
ens: Vnus est mediator dei & hominũ,
homo Iesus Christus, sicut dicit Apo-
stolus. Nō ergo inuocandi sunt sancti. SIMILITER
Christus iussit apostolos, & nos omnes in suo nomine pe-
Iohan. 14. tere, non sanctorũ. AD hęc, solus ipse uia est. Nemo enim
Matth. 11. uenit ad patrem, nisi per ipsum. Sed & oēs ad se inuitat, di-
cens: Venite ad me oēs, qui laboratis, &c. RESPON-
DEMVS. Pauli uerbũ, si cũ sequentibus eiusdem loci
cōferatur, clarũ redditur, quo sensu sit accipiendũ. Siquidē
continenter subinfert: Qui dedit semetipsum redemptio-
nem pro multis. Quasi ideo dixerit eum mediatorem, q̃
per ipsum solum in gratiam patris rediuimus. Ipse est enī
solus

ſolus propiciatio pro peccatis noſtris: ꝙ ſolus ipſe deleue- *Coloſſ.2.*
rit, quod aduerſus nos erat chyrographũ mortis, affigens
illud cruci: ꝙ ſolus ipſe tulerit peccata totius mundi, et ue-
re portauit dolores noſtros ꝙ ſolus ipſe fortẽ armatũ triũ- *Luc.11.*
phauerit, arma eius abſtulerit, diſtraxerit ſpolia, eumq́ꝫ ſuo
deturbauerit regno. Quod ſolus ipſe, morte profligata, ui
tam nobis reſtituerit. Quod ipſe gratiam nobis meruerit, *Oſe13.*
& gloriam: atq́ꝫ ſuo ſanguine portas cœli reſerauerit. Qđ *Ioan.3.10.*
ſolus ipſe ſit, cui omnes prophetę teſtimonium perhibent, *Iohan.1.*
remiſſionem peccatorum accipere per nomẽ eius, omnes *Acto.10.*
qui inuocant eum. HAEC autem omnia cum ad redemp
tionis opus pertineant, recte dixit Apoſtolus, unum dun
taxat eſſe dei et hominum mediatorem. IN hunc ſane mo
dum, ſanctos nõ facimus mediatores. Nihil enim ad opus
redemptionis noſtræ contulerunt. Sed interceſſores eos eſ
ſe dicimus, quia ſcilicet oratione et prece ſancta pro nobis
deo ſupplicant. Quod etſi etiam ad Chriſtum pertineat,
tanq̃ ad mediatoris officium, non tamen eſt incommuni-
cabile, ſed pluribus conuenit. Sicut enim alia quædam, ita
ſunt Chriſti, ut tamen etiam aliis communicentur. Sicut,
eſſe paſtorem, eſſe lucem mundi, eſſe protectorem, & cu- *Iohan.10.*
ſtodem. Quæ omnia apoſtolis & angelis, non modo ec- *Math.5.*
cleſia, ſed & Chriſtus ipſe attribuit, & ſcriptura. Scriptũ
eſt enim, Vos eſtis lux mundi. Et iterum, Alios quidem *Math.5.*
dedit paſtores, alios doctores, &c. Et rurſus, Angelis ſuis *Ephe.4.*
deus mandauit de te, ut cuſtodiant te, &c. Ita nihil uetue- *Pſal.90.*
rit, ſanctos eſſe mediatores, quantum ad interceſſionis
ſuffragium. QVOD aũt Chriſtus diſcipulos in ſuo no-
mine rogare iuſſit, ꝓbe dicitur: ſed propterea nõ interdici
tur ſanctorũ inuocatio. Tum quia hoc ipſum à ſanctis po
ſtulamus, ut patrẽ pro nobis in nomine Chriſti precentur
pariter nobiſcum. Tum, ꝙ rogare patrẽ in nomine Ieſu, ſit
orando fiduciã habere, ꝙ per Chriſtũ facile ſit donaturus

pater,quod petimus. Item ea petere,quæ ad salutem perti nent. Nomē enim Christi est, Ihesus,quod salutem sonat. Aut si maius,est patrem obtestari, per misteria humanita tis,ut largiatur quæ postulamus. Nihil autem prędictorū prætermittitur,etiam si rogemus sanctos, quod sanctorū in uocatio hanc fiduciā non excludat,neq; reliqua impediat. Nisi quis putet,etiam Paulum arguendum diffidētię:qui et ipse nō à solo Christo,sed à peccatoribus intercessionis rogauit patrociniū. Si enim Christo diffidit,qui precibus sanctorum iuuari postulat, multo amplius diffidere con uincitur,qui à peccatoribus suffragia orationis quęrit.

Pergant ergo aduersarij etiam Paulo insultare, & di cant, An ignoras Paule, ab uno Christo duntaxat salutis

1. Tim. 2. petenda esse subsidia, qui teipso teste,solus est mediator dei & hominum? Cur igitur tam potentissimo atq; miseri cordissimo relicto aduocato,auxilium à miseris peccatori bus rogas, qui nec seipsos iuuare possunt? Insanis Paule, male tibi constas,uehementer à teipso dissentis. Qđ enim

Heb. 4. uerbo doces,re ipsa impugnas. Doces omnem in Christo collocandam esse fiduciam? Tu uero Paule nisi illi diffide res,non ad peccatorum intercessionem recurreres. Fortas sis ex aulis regum hūc ordinem sumpsisti,ubi amicis inter cessoribus utendum est. Sed tota uia aberras. Lōge enim dispar est ratio, de terrestri rege,& ęterno, Adire illum nō omnibus conceditur: ad hunc uero omnibus ex ęquo adi tus patet. Ille uult causas per alios ad se deferri:hic uero u num cōstituit intercessorem,per quem solum uult nostra sibi offerri uota,atq; exorari. Sic in quę insultent Apostolo. Vere enim dignus est, cui sic insultetur:si modo uerū est, quod dicunt aduersarij,scilicet,per sanctorum inuocatio nem excludi fiduciam in Christum unicum mediatorem. Vtrum ergo uoluerint,eligant aduersarij. Aut nobis per mittant,cum Apostolo diffidere Christo,aut recātent, quod

perperam

perperam docuerunt, per inuocationem scilicet sanctorũ transferri fiduciã in sanctos, cũ obscuratione officij Christi. At nullatenus concedent, Christo esse diffidẽdum. Fateantur ergo oportet, sanctos citra omnem Christi iniuriã posse inuocari à nobis, & patrocinium intercessionis eorũ et participatio meritorũ, rogari. Nonne etiam in fide Christi orat, qui sanctorum merita sibi suffragari deposcit? quę non aliunde magis, quàm ex passione et gratificatione Christi uigorem habent, & acceptabilia sunt. Ideo enim grata sanctorum opera, quoniam sunt facta in fide, & ex charitate, quæ nobis per Christũ contigerunt. Ideo munda, quia in Christo sunt facta. Ideo meritoria, quia ex Christi merito, et diuina acceptatione efficaciam trahunt. Igitur ut finem faciamus, propterea per sanctos cõfidimus, quippiam impetrare à patre, quia amici dei sunt, id quod contigit ipsis per Christum. Ideo autem ad se nos uocat & inuitat, ut ostendat se semper paratũ in auxilium nostrum, si fiducialiter ad thronum gratiæ eius accedamus: id quod facere possumus, et per nos ipsos, et per sanctos dei amicos & nostros. Neque est alia uia ad patrem, nisi per Christum: in hoc sensu, quòd nemini speranda sit salus nisi, per fidem in Christum, qua iustificamur à peccatis. Sed quid hęc ad inuocationem sanctorum?

Soluuntur tres ultimæ obiectiones.

CAPVT SEXTVM.

POst hęc, nobis hoc quoque obijciũt, scilicet, neque præceptum, neque promissionem neque exemplum posse ex scripturis proferri, quo sanctorum inuocatio probari queat. Sed facile hęc refellitur abiectio. Itaque dicimus, hanc rationem falso niti fundamẽto, quòd pręsupponat, nihil probari deo, quod nõ ẽ ab eo pręceptũ: uel, quod nõ habet præuiũ exẽplũ: aut quod

diuina

diuina promiſſione caret. Id quod falſum eſſe, per ordinem oſtendemus. ET primo quidē de præcepto. Si enim inuiſum eſt deo omne quod diuino caret pręcepto, quid dicemus de apoſtolo, qui auſus eſt tradere & ſtatuere, quę Chriſtus neq; docuit, neq; pręcepit. Et quidem non de rebus omnino prophanis. Niſi quis putet, ſacramentum cō

1. Corinth. 7. iugij rem eſſe penitus prophanā. Ita enim Corinthijs ſcribit. Cæteris dico ego, non dominus. Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et ſi qua mulier fidelis habet uirum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat uirum. Sanctificatus eſt enim uir infidelis per mulierem fidelem. Et ſanctificata eſt mulier infidelis per uirum fidelē Nūquid etiam Concilium Ieroſolymitanum certam primitiuis Chriſtianis præſcripſit legem, de his, quę Chriſtus nullo indixerat pręcepto? Hęc tamē placuiſſe ſpiritui ſancto, aperte teſtantur apoſtoli & preſbiteri in hunc modū

Acto. 15. ſcribentes, Act. 15. Viſum eſt enim ſpiritui ſancto & nobis, nihil ultra imponere uobis oneris, quàm hæc neceſſaria, ut abſtineatis uos ab immolatis ſimulachrorum, et ſanguine & ſuffocato, & fornicatione, à quibus cuſtodientes uos,

Act. 10. bene agetis. QVO obſecro præcepto apoſtoli adacti ſunt, ut baptiſmi formam mutarent à Chriſto non modo traditam, ſed & præceptam, ut eſt apud Matth. Cap. 28:

Matth. 28. Euntes ergo docete omnes gentes, baptiſantes eos in nomine patris et filij, et ſpiritus ſancti, docētes eos ſeruare oīa quæcunq; mandaui uobis. Abſit autem, ut Eccleſiæ colūnas, ob hoc aut ſuperſtitionis, aut ſacrilegij arguamus, uel ut hoc Chriſto diſplicuiſſe credamus. An non et Noe

Gen. 8. poſt egreſſum de archa, gratum deo exhibebat cultum de cunctis mundis animantibus faciens holocauſtum, ſicut ſcriptum eſt: Aedificauit autem Noe altare domino et tollens de cunctis pecoribus & uolucribus mundis, obtulit holocau-

holocausta supra altare, &c. Quid obsecro aliud est, odor suauitatis, quam diuinæ uoluntatis complacentia, et gratiosa acceptatio holocausti ex fide oblatis? Nullius autem hic scriptura præcepti meminit, sicut nec de Abraham, qui & ipse ædificauit altare domino, inuocans nomen eius, Genesis 12. Male igitur colligunt aduersarij, dum ex eo, quod sanctorum inuocatio non est præcepta, inferunt eam superstitiosum esse cultum. Gen. 12.

Deinde & hoc falsum est, quod dicunt, inuocationem non posse ex fide fieri, eo quod nullam promissionem dei habeat. Eandem enim habemus promissionem, quam habuit Paulus, dum uiuorum postularet suffragiam. Si fiduciam habuit Apostolus, quod posset peccatorum precibus iuuari, cur nos sanctorum diffideremus patrocinio? Christus pollicebatur exorandum patrem ab his, qui illum in eius nomine essent rogaturi. Atqui nemini putamus esse ambiguum, sanctos, dum patrem orant, ad formam orandi, quam nobis Christus præscripsit, suas formare preces, patrique in nomine Christi supplicare. Proinde non caret promissione sanctorum intercessio. Non fuerit igitur inutile, eorum rogare patrocinium. Si enim habenda est fiducia, patrem donaturum, quod petimus, etiam soli, sine cooratoribus, in nomine Christi, quanto magis fidendum est, cum hoc largiturum, si nostra inuocatione prouocati sancti, simul nobiscum precatores ad eum accesserint, eumque nobiscum in nomine Christi orauerint? Postremo etiam non esse necessarium, ut ea, quæ diuino præcepto, aut promissione carent, habeant præuium exemplum, hinc claret, quod sacrificium Abel (quod spontaneè non habens præceptum, aut promissionem, uel antecedens exemplum, obtulit) deo placuisse scriptura testatur. Sic enim legitur Gene. 4. Abel obtulit deo de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum. Et respexit deus ad Abel, & ad munera eius. Item Iohan. 14. 15. 16. Gen. 4.

M Hebr. 11.

Heb. 11. Heb. 11. Fide plurimam hostiam Abel quam Cain obtulit deo per quam testimonium consecutus est, esse iustus, testimonium perhibente muneribus eius deo. Et per illam defunctus adhuc loquitur.

Patet igitur ex his, etiam hanc aduersariorum rationem infirmiorem esse, quam ut contra hunc sanctorum cultum ab Ecclesia uniuersali (quę sancto regitur spiritu) receptum, et diutissime obseruatum pręualere possit. Quod si quispiam roget, cur patres ueteris testamenti ab hac abstinuerint inuocatione: cur item apostoli hanc non docuerint primitiuos Christianos? In promptu ratio est. Frustra enim per inuocationem quęritur patrocinium intercessionis ab his, ad quos non peruenit nostra supplicatio. At supra diximus, sanctis in speculo trinitatis, & lumine glorię, nostras innotescere preces. Non antea autem datum est sanctis cõtueri speculum diuinitatis, hocque lumine illustrari, quam Christus super alta coelorum conscendens, ianuam regni illis aperuisset, atque secum in hanc gloriam introduxisset.

Esa. 63. Porro eos latuisse uiuorum suspiria, uota & preces, testatur scriptura, Esa. 63. Abraham nesciuit uos, & Israhel ignorauit uos. Apostoli uerò ab hoc tradendo exemplo abstinuerunt, ne gentibus recenter conuersis, occasionem pręberent, redeundi ad ydololatriam: non intelligentibus scilicet modum, quo inuocandi essent sancti. Nõ sunt enim omnia omnibus temporibus ęqualiter omnibus proponenda.

Dilucidum nunc esse putamus, hoc quod nos docturos receperamus, scilicet, absque superstitione, aut ydololatria licere quibuslibet Christianis, sanctorum rogare patrocinium, ipsisque supplicare, ut pro nobis ad deum precatores accedant, ac deum orare, quatenus eorum merita in nostrum cedere commodum largiatur, nihilque per hęc oia diuino honori derogari. Atque ideo aduersariorũ doctrinã, qua

qua hunc diuorum cultum superstitiosum esse, & de Ecclesia tollendum, docent, tanquam falsam & erroneam, atque scismaticam esse proscribendam, & omnibus Christianis uitandam. Et sic esto finis tractatus huius.

DE VENERATIONE, INVOCATIONE,

Et reliquijs Sanctorũ, breuis assertio doctissimi quondam uiri, Arnoldi Vuesaliensis.

M ij

MAGNIFICO VIRO, DOmino Marino Iustiniano, Patritio Veneto, Ioannes Cochlæus S. P. D.

MAgnifice domine Marine, antequam inchoetur hic permissum à Cæsarea Maiestate, de fide & religione inter eruditos colloquium, libet mihi edere hunc paruum libellum, quem forte fortuna hic inter chartas meas reperi, scriptū olim ab eruditissimo tum philosopho, tū theologo, triumq; linguarum peritissimo uiro, Arnoldo Vuesaliensi Canonico, dum uiueret, maioris Ecclesiæ Coloniensis, Cum quo ante annos decem in Imperali Conuentu Augustæ, pro ueteri inter ipsum & me familiaritate, dulciter conuersatus fui, de quo & Philippus Melanchton gratias mihi agebat, quod mea opera uel semel fruebatur illius colloquio. Quum igitur hic tractandum sit de hoc quoq; articulo, uisum est mihi, illius uiri sententiam in lucem edere, ut intelligat Philip. Melan. eum quoque uirum, quem tanti faciebat (& merito quidem) nō á sua, sed â nostra parte stetisse. Bene uale. Ex Vormatia. III. Nonas Nouembris.

M. D. XL.

DE VENERATIONE *Sanctorum, aduersus Lutheranos, breuis Assertio.*

PROLOGVS.

EMERSERVNT quidam, sub praetextu Euangelij & umbraculo ueritatis, falsa dogmata disseminantes, cõturbantesq; orbem Christianum, tranquillitatem reipublicae Christianae, & fidei synceritatem: Qui sanè impudenter nimis, ne dicam impie, inprimis asseuerant, diuos, cœli incolas et Christi cohaeredes, non esse uenerandos & colendos: deinde diuorum opem & patrocinium nihili faciunt: & quod consequens est, postremo reliquias fastidiunt & subsannant. Atq; haec quidem patrare non reformidant contra Ecclesiae consuetudinem tanto temporum interuallo confirmatam, contra sanctorum patrum testimonia, contra sacrae scripturae genuinam & ueram intelligentiam. Ego ut illorum fraudulentis & peruersis conationibus obsistã, corrogaui aliquot autoritates ex locupletissimo penu sacrarum literarum, quibus obtectus, aduersariorum tela, partim in ipsos hagiomastigas, hoc est, diuorum calumniatores retorqueam, partim à Christiano grege & orthodoxae fidei cultoribus propellam.

Tres partes huius tractatus.

PARS PRIMA DE VENERAtione Sanctorum.

TV ne igitur (ut tecum congrediar, insane diuorum irrisor) illum esse uenerandum negabis, quẽ pater cœlestis honorificat? Assertor noster Christus apud Ioannẽ ait: Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eũ pater me- *Iohan. 12.*

ss. Diuos, qui Christum imitati sunt, qui Christo ministrauerunt, qui animam suam in hoc mundo oderunt, ut in uitam æternam custodirent, pater cœlestis honorat, & tu honore priuas? Christus ministris suis honorificationem pollicetur, tu diuos, iam cum Christo sine fine regnaturos, ab honore & ueneratione repellis? Animaduerte quæso, quam bene tibi conueniat cum promissis Christi, cum Euangelij documentis. Nonne Christus sub patrisfamilias parabola, se ijs ministraturum dicit, quosquos è famulis inuenerit uigilantes, & diuis in æternam beatitudinem auctoratis, ministeriũ uenerationis denegas? Audi Lucã, cuius laus in Euangelio: Beati serui illi, quos, cum uenerit dñs, inuenerit uigilantes, Amẽ dico uobis, ꝙ præcinget se, & faciet illos discũbere, & transiẽs ministrabit illis. Discors planè ac ex Diametro pugnans sententia inter Christum & eum, qui Christiano nomine se iactat. Illic enim humilis dominus se præcinget, ut sanctis & amicis suis famuletur, hic tu pertinax diuorum contemptor, animum obfirmasti, ut sanctis & electis insultares. Illic creator à se conditæ creaturæ accubitum parat, hic creatura creatorem in sanctis suis mirabilem aspernaris. Illic redemptor transiens ministrabit, hic uesanus homuncio quos honorare redemptor mandat, irrides.

Luc. 12.

Argumenta Lutheranorũ

Sed ais, sacræ scripturæ testimonia te secutum, isthæc opinari, scriptum esse in Mattheo. Dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Item in Deuteronomio. Dominum deum tuum timebis, & illi soli seruies. Item Paulum & Barnabam in Lystris, honorem sibi à turba & sacerdote Iouis exhibitum refugisse. Item Angelum Ioanni, ante pedes adorare uolenti, dixisse: Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum prophetarum, Deum adora.

Matth. 4. *Deut. 6. et 10* *Act. 14.* *Apocalyp. 19*

Solutio.

Recte tu quidem hæc citas, & uera sunt, quæ citas, sed ue-

ſed uereor, ne recte intelligas. Deerrant ſæpenumero in ſacrarum literarum uero ſenſu eruendo, qui ad eas tractandas illotis (quod aiunt) manibus prodeunt, nempe qui literæ inhærere ita ſolent, ut ſpiritum negligant. Quod & tibi accidiſſe, facilè commonſtrabo: Aſſeris enim, ſolum eſſe deum adorandum. Fatemur, ſub certo intelligentię temperamento. An nō Nabuchodonoſor rex Danielem adorauerit? Iudith Holofernem in Cọnopęo ſedentem? Nathan propheta Dauid regem? Ioſue principem exercitus tenentem euaginatum gladium? Et tandem Abraham (ut aliquando finiam) angelos? Et tu me aſtringes, ut citra diſtinctionem, citra ueri intellectus condimentum, ſimpliciter admittam, ſolum deum eſſe adorandum? Aut hic diſtinguas, neceſſe eſt, aut ſacram ſcripturam à ſe diſſidere, atque ſecum pugnare confitearis. At quid tam abſurdum, tam perniciosum eſſe poteſt noſtræ religioni, quam ſacrarum literarum pugnantiam & diſcordiam agnoſcere? Daniel. 2. Iudith. 10. 3. Reg. 1. Ioſue 5. Gen. 18.

Ab hoc non diſcrepat, quod ſubditur, Soli ſcilicet Deo eſſe ſeruiendum. Paulus ait ad Thimot. Regi ſæculorum immortali, inuiſibili, ſoli deo honor & gloria in ſęcula ſæculorum. Ad Roman. uerò: Gloria & honor & pax omni operanti bonū, Iudæo primū & Gręco. Videñ hic eiuſdē autoris pugnātes ſententias? Elangueſcet itaq; uel Pauli autoritas, uel ea, quæ ſecum pugnare uidentur, diſtinctione mitiganda ſunt, & diuiſione leuiganda. 1. Timot. 1. Rom. 2.

Quod ſi adorationis, ſi honoris diſtinctione opus ſit, qui fit, ut ſimpliciter pronuncies, quod uarium eſt & multijugum? Cur in unum ſectionis membrum ſic inclinas, ut alterū reijcias penitus? Colimus & adoramus, ut creatorem, redemptorem, ut remuneratorem: colimus & ueneramur diuos, tanquam diuinæ excellentiæ quodam modo conſortes. Quos ſane regius propheta deos uocat Pſalm. 81.

& filios

Rom. 8. & filios excelsos omnes. Quos deus, præcone Paulo, prę-
destinauit conformes fieri imaginis filij sui. Quos deniq;
Matth. 12. Christus per Matth. & Marcum fratres suos, sorores, &
Marc. 3. matres appellat. Illud adorationis genus Chrysostomus,
Augustinus & sacrosancta doctorũ turba λατρείαν hoc ue-
rò δουλείαν appellare solent. Vt latriam soli deo tribuimus,
ita duliam diuis & sanctis communiter impertimus.

Hic fortasse nares corrugabis, audito nouo quodã prodigio recentium uocabulorum. Sed mihi crede, non esse ociosam uocularum inuentionem, quam sancti patres, cũ ad sacrarum literarum tenebras illustrandas, tum ad placandas quorundam locorum discordias, salubriter & pie docuerunt.

PARS SECVNDA DE SANctorum inuocatione.

Secundo clamitas uesane mastigia, Sanctorum opem
non esse implorandã, tuis, nescio, an dei præsidijs con-
1. Corinth. 3. fisus. Quòd si tuis, iam Paulum lapsum fateberis, dicen-
tem: Non sumus sufficientes cogitare aliqd à nobis, qua-
si ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Quòd si dei,
non est excludendum sanctorũ patrocinium, quippe cum
Iob. 5. deus quoq; nos per Iob hortetur, ut uocemus & ad aliquẽ
sanctorum conuertamur. Quod ut planius intelligas, li-
buit hoc loco orationis futuram paulò laxius explicare.
Tu ne tandem illorum opem exibilaturus es, aut reiectu-
rus, quorum preces toties iræ dei restiterunt? Toties manũ
iam fulmina parantem, auerterunt? Toties Deum ad uin-
dictam accinctum, placarunt? Nonne dominus loquitur
Exod. 32. ad Mosen: Dimitte me, ut percutiam populum istum, &
Psalm. 105. faciam te in gentem magnam? Nonne dominus dixit, ut
disperderet Israhelitas, si non Moses electus eius stetisset
Psalm. 106. in confractione in conspectu eius? Nonne stetit Phinees,
& placuit,

& placauit, & cessauit quassatio? Nonne Aaron arrepto Num. 16.
thuribulo inter ignem arsurumq; populum medius stetit, & dei ira cessauit? Nonne (si Iacobum audias) multum ualet deprecatio iusti assidua? Nonne Helias orauit, Iacob. 5.
ut non plueret super terram, & nõ pluit annos tres, & menses sex? Nonne rursum orauit, & coelum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum? Hic Moses, Phinees, & Aaron opem sensit populus Israheliticus, & tu beatorum opem explodes? Hic Helia intercedente, terris pluuia & adempta & restituta est, & tu sanctorum interuentum inanem esse putabis?

Dices fortasse cũ Vigilantio, Viuos mutuo pro se orare posse, nullius autem demortui pro alio exaudiendam esse orationem, atq; ita diuorum opem, quam fusa ad deum pro nobis oratione fieri oportet, expectandam non esse. Obiectio.

Hic tibi respondebit Hieronymus: Si Apostoli & martyres adhuc in corpore constituti, possint orare pro caeteris, quando pro se debent esse solliciti, quanto magis post coronas, uictorias, & triumphos? Siquidem Stephanus imitator Domini fuit, & primus in Christo martyr, pro persequutoribus uiuens ueniam deprecatus sit, nunquid postq; cum Christo esse coeperit, minus ualebit? Paulus ducentas septuaginta sex animas sibi adhuc uiuenti condonatas in naui testatur, at postq; resolutus cum Christo regnat, nunquid iam ora clausurus est? Nõ finit diuorum iam perfecta charitas, ut mortui minus aut uelint, aut possint, quam uiui poterãt. Multum orat (in Machabeorum libro scribit̃) pro populo & uniuersa sancta ciuitate Hieremias propheta Dei, ascendisse fumum incensorum de orationibus sanctorum de manu angeli coram deo, Apocalypsis testatur. Responsio contra Vigilan. Act. 7. Act. 27. 2. Machab. ult. Apocalyp. 8.

Rursum obmurmuras, deum scrutari corda nostra, deum nosse, quorum indigeamus, proinde opus non esse,

neq; nobis quidem intercessoribus, qui uota nostra deo exponant, neq; deo ministris, per quos exauditam esse orationem nostram declaret. Cæterum quemadmodum deus est, qui uota nostra exaudire, qui orationes implere potest, dominus est, qui gratiam & gloriam dedit, ita quoque dominus deus interim, neq; uotis annuit, neq; exorabilem se præstat, nisi intercedentibus diuis. Nonne apud Ezechielem dominus ait? Quæsiui de eis uirum, qui interponeret maceriam, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam. Potuit utique dominus non dissipare terram, attamen uirum quæsiuit, quo interpellante á dissipando remoraretur. Nonne apud Iob dicit dominus? Iob seruus meus orabit pro uobis, faciem eius suscipiam, ut uobis non imputetur stultitia. Nonne in eodem quoq; capite dicitur? Dominus conuersus est ad poenitentiam Iob, cum ille oraret pro amicis. Orarunt haud dubie amici Iob, & exauditi non sunt. Orauit Iob pro amicis, & conuertit se dominus ad petitionem eius. Adeo efficax est iusti deprecatio assidua, adeo dulcis ante Deum oratio (ut Chrysostomus ait) quam charitas fraternitatis commendat, adeoq; magna sunt (autore Augustino) in terris per sanctos curationum solatia. Sed hæc mittamus, ad tertium accedentes.

Psalm. 83. *Ezech. 22.* *Iob. 42.* *In Matth.* *22. de ciuit. dei.*

PARS TERTIA DE RELIquijs Sanctorum.

POstremo doles (ut cum Hieronymo loquar) martyrum & cæterorum diuorum reliquias precioso operiri uelamine, & nõ uel pannis, uel cilicio colligari, uel projici in sterquilinium. Quid te rogo, recõditi sanctorum cineres offendunt, quos etiam gentes, quæ deũ ignorant, mouere, ominosum esse putant? Cur ossa contemnis, quib. corpus compaginatum fuit, domicilium inhabitantis gratiæ?

Contra Vigilan. *I. Corinth. 6.*

tiæ? quibus membra cohæſerunt templum ſpiritus ſan-
cti? quibus diuina uirtute coeuntibus, redintegratum
corpus ſimul cum anima æternæ beatitudinis particeps e-
rit? Si animam colis, cole & corpus diuorum, cole mem-
bra, cole reliquias. Quod anima nunc conſecuta eſt, cor-
pus olim procul dubio adipiſcetur: ſurget enim, ut Pau- 1. Corinth. 15.
lus ait, in incorruptione, ſurget in gloria, ſurget in uirtute,
ſurget ſpirituale. Tu demortui patris relictam tibi ueſtem Auguſtin. de
honorificenter tractas, reuerenter induis, & oſſa diuorum ciuit. dei.
ſuggillabis? Quæ ſanè hoc magis honorari conuenit, quo
præſtabiliora ſunt indumento. Annulo, quem amicus de
cedens è uiuis tibi legauit, digitum non exornas, niſi chari
amici imago ſubeat, niſi dulcium uerborum memineris,
niſi annulum etiam in perpetuæ amicitiæ pignus relictũ
exoſculeris, & tu in cineres diuorũ nobiſcũ repoſitos mor
dacem iocum confinges? linguam coinquinatam quaſi i-
gnem deuorantem & gladium acutum exeres? Quid ẽm
ſunt cineres & oſſa, niſi quædam ſanctorũ pignora in ter-
ris relicta? quæ & futuram reſurrectionẽ nobis promittũt,
& in corporis glorificationẽ ſpem noſtram erigunt. Audi Eſa. 26.
ꝓphetam dicentẽ: Reſurgent q erant in monumentis. Au
di eundem in alio loco: Oſſa noſtra quaſi herba germina- Eſa. 66.
bũt. Danielem audi teſtificantẽ, multos ex iis qui dormi- Daniel. 12.
unt, exurrecturos in uitam æternã. Audi Chriſtũ, ſeſe aſſe Matth. 22.
rentẽ deum Abraham, deũ Iſaac, deũ Iacob, deum inquã
non mortuorũ, ſed uiuentiũ. Quòd ſi oſſa reniteſcẽt, ſi mo
numentis occluſi, ad uitam excitabunt, ſi Chriſtus uiuen-
tium deus ſit, Abraham, Iſaac & Iacob, non ex ſola anima,
ſed anima & corpore coalitorũ, qui ſit, ut diuorum corpo-
ra uenerari refugis, qui ea in æternæ uitæ communionem
eſſe olim reuocanda, ex certiſſimis ſacræ ſcripturæ teſti-
moniis liqdo cognoſcis? Sed uereor, ne ſtupidior ſis, ꝗ̃ ut
hæc intelligas, aut ſ[illegible]tẽ peruicatior, ꝗ̃ ut intelligere uelis:

Iacob. 5. Igitur orationem sistam, atq; te hortabor, ut post hac linguam refrenes, ut ad sobrietatem sapias, ne forte thesaurizes tibi iram Dei in nouissimis diebus.

DE VERA CHRISTI ECCLESIA, QVAESTIO NECESSARIA,

super Septimo Confessionis Augustanae articulo.

PRAEFATIO AD CAESAREAM MAIESTATEM.

SErenißime, Potentißimeq́, ac Inuictißime Imperator Auguste, Domine omnium clementißime, Sacra Caes. Maiestas tua iam ultra. 20. annos plurimum laboris, curarumq́; & impensarum clementißima pietate in sese suscepit ac pertulit, ut Germanicam nationem inclytam totam rursus ad pacem & Catholicam in fide & religione unitatem perduceret: Eiusq́; rei gratia multos indixit celebrauitq́; publicos sacri Roma. Imperij Conuentus, Vuormatiae, Spirae, Nurenbergae, Augustae, Ratisponae, &c. Quibus tamen hactenus parum (proh dolor) utilitatis aut profectus eo in negocio consecuti sumus: Nouißime uerò amicum instituit Colloquium, per eruditos homines ex utraq́; parte, nempe & Catholicorum & Protestantium, Vuormatiae habendum, imò iam habitum, super controuersijs, in fide & religione obortis. Sed in eo quoq́; parum adhuc effectum est, licet non parum temporis & sumptuum ab utraq́; parte eius rei gratia sit impensum. Quoniam uerò utriusq́; partis Concionatores & Doctores Theologi, uisi sunt ad pacem & unitatem propensi, ut omnis in fide & religione discordia tolli eorum studio queat, foret utiq́; proxima & directißima ad componendam pacem uia, efficaxq́; & optabile compendium, si sacratiß. Maiestas tua Caesarea curet, iubeatq́; & efficiat, ut nunc in Ratisponensi Conuentu Imperiali, ante omnia diligentißime examinetur discutiaturq́; & determinetur Septimus Augustanae Confeßionis Articulus, Vtpote, quaenam sit uera Christi Ecclesia. In quo sanè praecipue totius religionis nostrae cardo uertitur, & ex eius ueritate maxime pendet animarum salus, Quemadmodum breui hoc libello clare demonstratur, qui Maiestati tuae Augustißimae supplici deuotione humillime offertur, summo cum desyderio pacis & unitatis, in publicum Germaniae, immò totius Christianitatis bonum, à Maiestate tua foeliciter procurandae.

E. Caes. Maiestati T.
Perpetuo deuotus
Ioannes Cochleus.

ARTICVLVS SEPTImus Augustanæ confessionis, de Ecclesia.

ETsi non admodum magna est hic in sensu distantia, quidnã sit Ecclesia, inter Catholicos et protestantes, maxima tamen est inter eos discrepantia, quę nam, et ubi nam sit uera Christi Ecclesia. Et hæc sane discrepantia summũ & extremũ trahit post se animarum periculũ, & in ea totius causæ status cõsistit, ac totius rei cardo uertitur. Si enim pars Protestãtium esset uera Christi Ecclesia (sicut ipsorum concionatores iactitant, nocentissimeq; miseram simplicemq; plebẽ decipiunt) nemo pręter eos saluari posset, Extra Ecclesiã enim nemo saluari potest, sicut extra arcã Noe nemo saluus permansit in diluuio. Nisi igitur transiremus ad eos, nulla nobis esset spes reliqua salutis. Si autem uera Christi Ecclesia nõ est apud sectam ullam, siue nouam, siue ueterem, sed apud Catholicos tantũ, necessarium est, ut omnes, quicũq; in ulla secta moriũtur, ęternę morti sint obnoxij. Hęc igitur quęstio summa cũ dilgẽtia serio cõsyderanda est, et absq; ostẽtatione et pertinacia pie atq; sollicite discutienda, qua recte discussa, mox totũ cessabit dissidium. Certe quod uera Orthodoxa & Catholica Christi Ecclesia nõ sit apud eos, qui Lutheri aut Zuinglij, aut ullius alterius secte parti adhęrẽt, sed apud eos, qui Romanę coniuncti sunt Ecclesię, et Petri successorem pro uero et legitimo Ecclesiæ pastore habent, & obedienter agnoscunt, euidentissimis probari potest argumentis, quorum nonnulla breuiter commemorabimus.

SEPTEM ARGVMENTA PRO Catholicis.

Primũ

PRimũ ſane, ex illo uerbo Chriſti, Tu es Petrus, (hoc eſt, ſaxũ, ſicut in Didymo ſuo expoſuit ipſemet Philippus) & ſuper hanc petram, aut hoc ſaxũ, ędificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi nõ prȩualebunt aduerſus eã Etenim portȩ inferi ſunt tyranni & hȩretici. Oppugnauerunt quidem illam utriq;, Tyranni immaniſſime, ut Nero, Domitianus, Traianus Diocletianus, &c. Hȩretici acerrime, ut Nouatiani, Arriani, Donatiſtȩ, Pelagiani, etc. ſed prȩualere non potuerunt. Ipſi enim iam olim funditus interierunt, illa adhuc ſtabilis per dei gratiam permanet. Matth. 16

2\. Secundum, Ex altero uerbo Chriſti, Ego pro te rogaui Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Hoc certe uerbum ueritatis de nulla alia in toto mundo Eccleſia recte dici aut intelligi poteſt, quam de Romana, Non de Antiochena, non de Alexandrina, quæ poſt illam inter Patriarchales & præcipuas Eccleſias ſummum tenebant locũ. Neq; item de Cõſtantinopolitana, quȩ ſtulte ſuperbiens Patriarcham ſuũ auſa fuit dicere uniuerſalem. Neq; etiam de Hieroſolymitana, licet omniũ antiquiſſima. Nec de ulla alia, quantũuis olim celebri & ab Apoſtolis fundata Eccleſia, ut Epheſina, Theſſalonicenſi, Philippẽſi, Corinthiorũ, &c. In ſola enim Romana Eccleſia per tot ſȩculorũ curricula nũquã defecit fides Catholica. Ergo maxime et proprie conuenit Rom. Pontifici, cõfirmare fratres ſuos in fide. Quiſquis igitur fidem eius reſpuit, is in uera Chriſti (cuius Vicariũ non agnoſcit) Eccleſia non eſt. Luc. 22.

3\. Tertium Ex alio rurſus uerbo Chriſti: Petre amas me plus his? Paſce oues meas, Paſce agnos meos. Quid eſt ergo, Plus his? ſi nihil eminentiæ præ aliis Apoſtolis & diſcipulis Chriſti haberet Petrus, & Petri ſucceſſor in Eccleſia, Cur diceret, Plus his? Aut ſi uolebat omnes Apoſtolos & diſcipulos ſuos æqualiter eſſe paſtores ouiũ ſua- Ioan. 21.

rum

rum, cur non dicebat potius ad omnes, Pascite, quam ad unum Petrũ, Pasce oues meas? Recte igitur intelligimus Rom. Pontificem, quando dicimus in Ecclesia, Oremus pro pastore nostro. Quia Petrus à Domino constitutus est supremus pastor. Quapropter omnes, qui sub hoc pastore esse nolunt, oues Christi non sunt, nec in ouili Christi locum habere possunt.

4. Quartum. Ex Paulo Apostolo, qui & Rom. Ecclesiam de fide collaudauit, & Petrum maximi fecit. Sic enim scribit ad Romanos. Primum quidem gratias ago deo meo, per Iesum Christum pro omnibus uobis, quia fides uestra annunciatur in uniuerso mundo. Et rursus in fine. Rogo autem uos fratres, ut obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam, quam uos didicistis, faciunt, & declinate ab illis. Ad Galatas uero scribens, ait: Deinde post annos tres ueni Hierosolymam uidere Petrum, & mansi apud eum diebus 15. Hinc igitur facile cognoscimus, quanti fecerit Petrum Paulus, & quod secundum mentem & institutionem Christi prętulerit eũ alijs Apostolis, tanquam summum totius Ecclesiæ pastorem & fidei magistrum (quem & Dionysius, Pauli discipulus, Theologorum columen dixit) Alioqui iustius potuisset dicere, Veni Hierosolymam uidere Iacobũ, utpote fratrem Domini, & Hierosolimę Episcopum. Quoniã uero sciebat, Petrum à Christo cæteris Apostolis prçlatũ esse, uenit uidere Petrum potius quam Iacobum. Quia Iacobus unius ciuitatis, Petrus uero totius per orbem uniuersum Ecclesiæ pastor & Episcopus erat. Vnde factum est, ut successor Petri in hodiernum usque diem dicatur Catholicæ (hoc est uniuersalis) Ecclesiæ Episcopus. Quisquis igitur ei resistit, Dei ordinationi resistit, & damnationem sibi acquirit, quia Christus ordinauit eum suarũ ouium pastorem.

Dionysius de diuinis nominibus.

5. Quin-

5. Quintum. Ex actibus Apostolorum. Etenim cum Act. 1.
esset eligendus alius discipulus in locum Iudae proditoris, prae ceteris exurrexit Petrus in medio fratrum, faciens ad eos exhortationem, cum esset ibi turba hominum simul fere centum uiginti. Hoc ergo fecit secundum officium & potestatem sibi à Christo traditam, quia dixerat ei, Pasce oues meas. Hoc est, tene uices meas in Ecclesia, quia uado ad patrem. Hoc non dixerat Iacobo, neque Ioanni, neque Mariae benedictae matri suę. Ideo tacebant omnes alij, qui aderant, & dabant priorem locum Petro, tanquam oues pastori, & eum uenerabiliter audiebant, eiusque admonitioni parebant, Licet Maria mater Domini longe dignior sanctiorque esset Petro secundum se, et duo Iacobi simul cũ Ioanne secundũ carnem multo propinquiores essent Domino, quam Petrus. At scientes Petro prę omnibus à Domino dictum esse, Pasce oues meas, prętulerunt eũ omnibus, propter officium & dignitatem pastoralem, quia erat Vicarius Christi. Similiter fecerunt postea & in alijs actibus publicis. Prae omnibus enim Petrus primum habuit Act. 2. 6. & 15.
ad populum sermonem, & primus fuit autor sermonis super eligendis septem Diaconis, & primus dixit sententiã in primo Concilio. Vbique igitur primum tenuit locum, ut Vicarius Christi.

6. Sextum. Ex antiquissimis & sanctorũ Patrum et generalium Conciliorum testimonijs atque Decretis. Etenim S. Ignatius uocat Rom. Ecclesiam sanctificatam & illuminatam in uoluntate Dei, & pręsidentem in loco regionis Romanorum, deo dignã, eminentia dignam, &c. Et S. Anacletus, qui se ab ipso Petro presbiterum ordinatum esse ait, affirmat hoc idem dicens. Hęc uero sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino saluatore nostro primatum obtinuit, &c. Item S. Irenaeus: Inter Latinos omnium antiquissimus

Ignatius in epistola ad Ro.

Irenaeus lib. 3. cap. 3.

O

quissimus Doctor, Episcopus & martyr Lugdunensis sic ait: Sed quoniam ualde longum est in hoc tali uolumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ & antiquissimę, & ab omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & cōstitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientem usq; ad nos, indicantes, confundimus oēs eos, qui quoquo modo uel per sui placentiā malam, uel uanam gloriam, uel per cæcitatem & malam sententiam, præterquam oportet, colligūt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est, omnē conuenire Ecclesiam, Hoc est, eos, qui sunt undiq; fideles. Sic et Tertullianus et Cyprianus et Augustinus ex Aphrica, Athanasius, Teophilus et Cyrillus ex Aegypto. Breuiter omnes ex toto mundo Catholici scriptores id ipsum tenuerunt, & nullus ex eis (uno excepto Tertulliano, qui lapsus tandem in Montani hæresim, defecit) à Rom. Ecclesia se separauit. Quinimo S. Thomas probat ex pręcipuis Gręcorum Doctoribus, atq; etiam ex Cōcilio Chalcedonensi (sicut Athanasius ex Niceno) quod de necessitate salutis sit, Rom. Pontifici subesse. Nemo igitur unquam in M.D. annis se à Rom. Ecclesia separauit, qui non sit habitus pro hęretico. Nos tamen per hæc Romanę Curię abusus, nequaquam comprobasse uolumus, quos optimus quisq; uellet uel correctos, uel prorsus abolitos.

7. Septimum. Ex ipsius Lutheri testimonijs. Sic enim scripsit in quorundam articulorum suorum declaratione Germanica, quod Romana Ecclesia sit à deo præ omnibus alijs honorata, non est dubium. Ibi enim sancti Petrus & Paulus, Pontifices item Rom. XLVI. ac tot cen

tena

tena milia martyrum, sanguinem suum fuderunt, Infernum & mundum uicerunt, ut uel palpari queat, quam singularem habeat ad eam Ecclesiam respectum Deus. Quod si nunc (proh dolor) ita res habet Romæ, ut[illegible] expediret habere melius, Attamen neque hæc, neq; ulla alia causa tam grandis est, nec esse potest, ut ab Ecclesia illa separatio aut discessio ulla fieri debeat, Imo quanto peius res ibi habet, tanto magis accurrendum & adhærendum est. Per separationem enim & contemptum non fit melius. Nec dimittendus est Deus propter Diabolum, nec uitandi reliqui boni, propter turbam prauorum, Imo propter nullum peccatum aut malum, quodcunq; excogitari aut nominari potest, debet rescindi charitas, nec spiritualis unitas diuidi. Hæc ibi. Et in eandem sententiam scripsit etiam copiosius in Commentario Epistolæ ad Galatas, Item in Resolutione propositionis suæ. XIII. contra D. Eckium, ponit quinq; rationes, propter quas ait Romanam Ecclesiam omnibus alijs superiorem, & Rom. Pontificem alijs præferendum esse. In prima igitur sic docet, Primum (inquit) quod me monet, Rom. Pontificem esse alijs omnibus, quos saltem nouerimus se Pontifices gerere, superiorẽ, est ipsa uoluntas Dei, quam in ipso facto uidemus. Neq; enim sine uoluntate Dei in hanc Monarchiam unquã uenire potuisset Rom. Pontifex. At uoluntas Dei, quoquo modo nota fuerit, cum reuerentia suscipienda est. Ideoq; non licet temere Rom. Pontifici in suo Primatu resistere. Hæc autem ratio tanta est, ut si etiam nulla scriptura, nulla alia causa esset, hæc tamen satis esset ad compescendam temeritatem resistentium. Hæc ibi. Item, in resolutione .XCV. propositionum sic præfatur ad Papam Leonem .X. Quare beatissime pater,

me pater, prostratum me pedibus tuis, tuæ beatitudini of fero cum omnibus quæ sum, & habeo, Viuifica, occide, uoca, reuoca, approba, reproba. Vocem tuam uocem Christi in te præsidentis & loquentis agnoscam.. Item. Circa Conclusionem .LXIX. sic ait, Tenentur Episcopi & curati, ueniarum Apostolicarum Commissarios cum omni reuerentia admittere, Quia autoritati Papali in omnibus cum reuerentia cedendum est. Qui enim potestati resistit, resistit dei ordinationi. Qui autem Deo resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Et Dominus ipse, Qui uos spernit, me spernit. Igitur licet in rebus exiguis, nihilo tamen minus quam in magnis, autoritati cedendum est, Hinc illud etiam uenit, quod etsi Papa ferret iniustas sententias, timendę tamē sunt. Et, ut Carolus inquit Imperator, quicquid imposuerit, quantumuis graue sit, ferendum est, sicut & experientia uidemus fieri ab Ecclesia, quę certe infinitis oneribus hodie premitur, & tamē pie & humiliter fert quieta. Item Conclusione .LXXI. Contra ueritatem (inquit) Apostolicarum ueniarum, qui loquitur, sit ille anathema & maledictus. Quia etsi res parua sit ueniarum largitio, tamē contra potestatem superbe agit, qui contradixerit, Ideo merito maledicetur, Cū obedientia Ecclesiastica eo fit mirabilior, quo etiam in uilioribus suo sensui cedit, & humiliatur. Deniq; Conclusione LXXXVI. sic ait: Non est nostrum, iudicare uoluntatē Papę, sed tantummodo ferre, etiam si quando fuerit iniquissima. Ne uero quis dicat, Lutherum ista primum ex timore aut adulatione, non ex animo scripsisse, operæ precium fuerit, aliud eius afferre testimonium, quod Germanice deinde post .X. annos contra Anabaptistas euulgauit. Nos autem fatemur (inquit) sub Papatu plurimum esse boni Christiani, imo omne bonum Christianum, atque etiam illinc ad nos deuenisse.

Quippe

Quippe fatemur, in Papatu ueram esse scripturam sacram, uerum baptismum, uerum sacramentum altaris, ueras claues ad remissionem peccatorum, uerum prędicandi officium, uerum Catechismum, ut sunt, oratio Dominica, decem praecepta, articuli fidei. Dico insuper, sub Papa ueram Christianitatem, imò uerum nucleum Christianitatis esse. Haec ibi Lutherus, Papae & Romanae Ecclesiae iam manifestus desertor, & publicus hostis. Hęc enim uerba in publicum aedidit Anno Domini 1528. post cędes rusticorum, & post uaria contra Papam scripta sua, posteaq; ipse iam pridem abiecto cucullo illicite sibi copulauerat Monialem.

Quod autem testimonium potest esse ualidius, quam illud, quod homo sua sponte profert contra seipsum? Dicet enim ei Dominus in die iudicij iustus & tremendus iudex, Ex ore tuo iudico te serue nequā. Quemadmodū & Dauid ad interfectorem Saul regis dixit, Sanguis tuus super caput tuum. Os enim tuum locutum est aduersum te. Meritò igitur timere debent haec diuina iudicia, quicunq; Luthero aduersus Papam damnabiliter adhaerent. Nam ex ore ipsius omnes aeternae damnationis & maledictionis sententiam recipient in extremo iudicio. Ipse enim publice scripsit, & praedixit, quàm graue peccatum & animarum periculum sit, discedere aut separari à Romana Ecclesia, & obedientiam Romano Pontifici subtrahere, aut denegare. Ideo nulla prorsus relinquitur eis corā iudice Christo excusatio, nisi reuersi fuerint, unde exierūt, egerintq; poenitentiam, & opera charitatis & obedientiae prima fecerint, sicut fecerunt pij & Catholici maiores & antecessores eorum.

Luc. 19. 2. Reg. 1. Apocalyp. 2.

Nunc igitur stat ante ostium cordis eorum Dominus, & pulsat misericorditer per Christianum & amicabile (ut dicitur) colloquium, & pie adhortatur eos ad pacem &

unitatem Ecclesiæ reparandam per clarissimos atq; grauissimos uiros, oratores atq; Theologos Papæ & Cæsaris, atque Romanorum regis, & Catholicorum sacri Imperij Principum. Qui eos omni exhortationis genere benigne ac fideliter adhortantur, ut resipiscant, & ad priorem unitatem & obedientiam erga Romanam Ecclesiam reuertantur, & in gremium matris Ecclesiæ sanctæ Catholicæ recipiantur. Si ergo salubriter eos audierint, dicet eis dominus Deus clementer, per Esaiam prophetam, Quiescite agere peruerse, discite benefacere. Si fuerint peccata ut coccinum, quasi nix dealbabūtur, Etsi fuerint rubra quasi uermiculus, uelut lana alba erunt. Si uolueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Quòd si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius (quod absit) deuorabit uos, quia os Domini locutum est. Hæc profecto spiritus Dei uerba non sunt temere inuentum rejcienda, aut superbe contemnenda, sed attento & sollicito corde cum timore ac tremore uenerabiliter percipienda, quia os Domini mentiri non potest.

Esa. 1.

ALIA SEPTEM ARGVMENTA contra partem Protestantium.

CErtè in Lutheri parte non est uera & Catholica Ecclesia. Ad suam enim Ecclesiam dixit Christus, Ecce ego uobiscum sum usq; ad consummationem sæculi. At non dixit hoc heri aut nudiustertius, sed ante M. D. annos. Lutheri autem pars nondum XXX. annos habet. Non est igitur uera Christi Ecclesia, in qua una & sola iustificantur & saluantur homines. Nam & Lutherus ipse in Ecclesia Christi baptizatus est, & annis plus q̃ XXX. Christianus fuit antequam secta eius est exorta.

2. Secundo. Catholica Ecclesia non est ad unum terræ angulum, quantumuis amplum aut latum, coartata. Scri

ptum

ptum est enim in Psalmis, Postula à me, & dabo tibi gen- Psal. 2.
tes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos ter- & 18.
ræ. Item, In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fi-
nes terræ uerba eorum. Et Christus ipse ait ad Apostolos Matth. 28.
suos, Euntes ergo docete omnes gentes. Item, Euntes in Marc. 16.
mundum uniuersum, prædicate Euangelium omni crea-
turæ. Item, Et eritis mihi testes in Hierusalem & in omni
Iudæa & Samaria, & usque ad ultimum terræ. Atqui secta Act. 1.
Lutheri nequaquam sic dilatata est, Ergo non potest dici Ca-
tholica Ecclesia. Quicquid igitur ab Augustino in quam
plurimis libris, Epistolis & sermonibus dictum & scriptũ
est aduersus partem Donati, hoc itidem nunc contra par-
tem Lutheri dici ac uerè obijci potest. Sunt autem innu-
meræ & scripturæ & rationes, quas in Donatistas produ-
xit Augustinus. Ergo & in partem Lutheri possent, si o-
pus foret, innumeræ scripturæ & rationes in medium af-
ferri. Magna est igitur in Christum blasphæmia, si Ec-
clesia, ipsius hæreditas & possessio, sic contrahatur falsa
opinione ad unum terræ angulum.

3. Tertio. Nihil hactenus firmiter & concorditer in
parte Lutheri constitutum est. Etenim ipse Lutherus
contra seipsum maxime uarius & contrarius est in doctri-
na, sicut ostensum est à plærisque in Antilogijs, Antilu-
theris, & Septem Capitibus eius. Sed & plærique ex com-
plicibus eius ab eo in multis dissentiunt, sicut ipsemet non
semel publice conquestus fuit. Præterea in nouis suis or-
dinatiõibus usque adeò uagi uarijque & incerti atque instabiles
sunt, ut nulla ferè Ecclesia, in omnibus finibus eorum, cũ
altera etiam proxime iuncta, per omnia conueniat. In tali
autẽ discordantia, uarietate & instabilitate nõ potest esse
uera Christi Catholica Ecclesia, nec spiritus sanctus, Ec- Ioh. 14.
clesiæ paracletus, qui cum uera Christi Ecclesia manet in
æternum. Quia non dissensionis, sed pacis et unitatis De-
us est.

1. Corinth. 14 us est. Et Christi Ecclesia non est mutabiliter in arena aut
Matth. 16. flumine aliquo fundata, sed super firmam petram, Petra autem erat Christus. Non potest igitur uera Christi Ecclesia esse in tot tantisq; rituum sententiarumq; mutationibus, quæ sibi inuicem manifeste contradicunt, & faciunt, quod homines usq; adeo negligenter curant quæ Dei
Iohan. 17. sunt. Pro uera enim Ecclesia sic orat patrem ipse Domi-
Rom. 15. nus, ut sint unum, sicut nos unum sumus. Et Paulus Apo-
1. Corinth. 1. stolus, Vt sitis (inquit) unanimes, uno ore laudantes Deum. Et non sint inter uos schismata, &c. Romana igitur Ecclesia, quia super petram fundata est, stabilis in fide sem-
24. quæst. 1. c à recta. permansit. Sic enim testatur hoc sanctus Lucius martyr & Pontifex, Hæc sancta & Apostolica, mater omnium Ecclesiarum Christi, Ecclesia, per Dei omnipotentis gratiam, à tramite Apostolicæ traditionis nunq; errasse probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauanda succubuit, sed ut in exordio normam Christianæ fidei percepit, ab autoribus suis Apostolorum Christi principibus, illibata fide tenus manet.

4. Quarto. Non potest Lutheri pars negare, quod Romana Ecclesia sit prima & præcipua, quæ Germanos & fidem Christi docuit, & in Christo per Baptismum rege-
Prouerb. 1. & 6. nerauit. Impie igitur faciunt nunc, quicunq; Luthero adhærent, contra omnem scripturam, quod legem matris suæ dimittunt, & rupto unitatis uinculo, se ab ipsa separant. Quòd igitur uera Ecclesia Christi non sint, facile pro-
Cyprianus de simplicitate prælatorum. batur hoc S. Cypriani graui & aperto testimonio. Nemo æstimet bonos de Ecclesia posse discedere, Triticum non rapit uentus, nec arborem solida radice fundatam procella subuertit. Inanes paleæ tempestate iactantur, inualidæ arbores turbinis incursione euertuntur. Hos execratur &
1. Iohan. 2. percutit Ioannes Apostolus, dicens: Ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis. Si enim ex nobis fuissent, man-

sissent

ﬁssent nobiscum. Hinc hæreses & factæ sunt, frequenter & fiunt, dum peruersa mens non habet pacem, dum perfidia discordans non tenet unitatem. Hæc ille, minime profecto leuis, aut contemnendus autor.

5. Quinto. Non potest esse uera Christi ecclesia, quæ nullos habet legitime ordinatos Episcopos & presbyteros. Sicut S. Ignatius, Apostolorum synchronus, & post eum S. Cyprianus, uehemens ille separationis detestator, & S. Hieronymus, fortis ille malleus hæreticorum (ut de reliquis breuitatis gratia taceamus) plane affirmant. Verba Ignatij sunt hęc in Epistola ad Philadelphienses, Sicut ergo filij lucis, fugite diuisionem unitatis. Vbi est pastor, illuc sicut oues cōgregamini. Quotquot em̄ sunt Christi, ipsi sunt Episcopi. Qui autem declinant eum, uel communionem eius, & sociant se cum maledicis, ipsi cum illis simul abscinduntur. Cyprianus autem ad Pupianū sic scripsit, Loquitur illic Petrus, super quem ædificanda fuerat Ecclesia, docens, etsi contumax et superba obaudire nolentium multitudo discedat, Ecclesia tamen Christianorum non recedit, Et illi sunt Ecclesia, & plebs sacerdoti adunata, & pastor suo gregi adhærens. Vnde scire debes, Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo, Et eos qui cum Episcopo non sunt, in Ecclesia non esse. Et S. Hieronymus, contra Luciferianos scribens ait, Hilarius, cum Diaconus de Ecclesia recesserit solusq́ꝫ, ut putat, turba sit mundi, neque Eucharistiam conficere potest, Episcopos & presbyteros non habens, neque Baptisma sine Eucharistia tradere. Et cum iam homo mortuus sit, cum homine pariter interijt & secta, quia post se nullum clericum Diaconus potuit ordinare. Ecclesia autem non est, quæ non habet sacerdotem.

Cyprianus li. 4. epist. 9.

6. Sexto. Non potest esse uera Christi Ecclesia, quæ antiquorum hæreticorum dogmata iam olim à Catholi-

ea Ecclesia damnata, uelut ex fauilla resuscitat. Hoc autem facit pars Lutheri, uti publice testatus est Augustissimus Cæsar noster in Edicto Vuormatiensi. Et patet hoc ipsum unicuiq; ueterũ hæreticorũ, ut Leonistarũ, Vualdensium, Pighardorũ, Albigensiũ, Vuiclephitarum, & similium articulos damnatos, intuenti. Vnde & Lutherus ipse turpitudinem propriam reuelans ait, Si Ioannes Hus hæreticus fuit, ego decies hæreticus existo. Non est igitur in parte eius Ecclesia uera.

Luthe. in assertione ar. 30.

7. Septimo, Nõ potest esse uera Christi Ecclesia, quæ non habet legitimas ac certas ordinationes clericorum, & successiones Episcoporum. Quemadmodũ testatur aduersus hæreticos Tertullianus dicens, Ordinationes eorum temerariæ, leues, inconstantes, nunc Neophitos collocant, nunc sæculo obstrictos, nunc Apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quos ueritate non possunt. Hoc autem est contra Paulum, qui ait, Omnia in uobis honeste & secundum ordinem fiant. Et spiritus sanctus de Ecclesia ait in Canticis, Pulchra ut Luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata. Cum igitur in parte Lutheri sint ordinationes leues & inordinatæ, per quas ex laicis mox per saltum, contra antiquũ Ecclesiæ ritum, sacerdotes facere se putant, nõ potest uera esse Ecclesia, quia prorsus nullam habet legitime ordinatorum Episcoporum successionem. Si ergo satis fuit olim Irenæo contra hæreticos sui temporis enumerare seriem Rom. Pontificum XVI. aut XVII. & Augustino satis fuit contra Donastitas recensere Episcoporum XL. nomina, qui certa serie successerant in sede Apostolica, quanto magis nobis satis esse debet aduersus omnes sectas nouas huius temporis, quod possumus plus quam CCXXX: secundum ordinem commemorare Ro. Pontifices in sede apostolica?

In lib. de præscri. hæreticorum.
1. Corinth. 14
Cant. 6.
Irenæus lib. 3. c. 3. Augustinus in epistola. 165.

Hic est igitur totius contentionis nostræ scopus, hic

rerum

rerum cardo, hic totius causæ status, nempe utra partium sit uera & Catholica Christi Ecclesia. Certè nemo Catholicorum usq; aut unq; repertus est, qui se à Romana Ecclesia separauerit, sicut separant se nunc Protestantes, qui etsi sub Romana Ecclesia nati & Christiani facti sunt quicunq; XXII. annos nati sunt, audent tamen nunc impudenter nomen ueræ & Catholicæ Ecclesiæ tum sibi arrogare, tum Romanę Ecclesiæ abrogare, ac Gigantęo quodam furore detrahere, matremq; suam oppugnare, & in eius uiscera grassari, quod præter serpentes nullum aliud facit animal. Nisi igitur primo quoq; tempore ab hoc dissidio suo desi[illegible]ant, nullam prorsus salutis æternæ spem habere possunt, qa sunt extra corpus & ouile Christi (quod est Ecclesia Catholica) Proinde in die Iudicij, non à dextris Christi inter oues, sed à sinistris inter hircos stent, necesse est, tanquam filij perditionis, & titiones æterni incendij, nisi resipuerint. Quid proderit igitur eis tunc scientia scripturam, qua nocentissime nunc inflati sunt? Percutit enim eos Apostolus, ubi ait ad Corinthios. Sciẽtia inflat, charitas autem ædificat. Item, Etsi habuero prophetiam, & nouerim mysteria omnia, & omnem scientiam, Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam , charitatem autem non habuero, nihil sum. Nihil igitur spei ad æternam uitam & salutem eis reliquum esse potest, quam diu contra charitatem in schismate & discordia permanserint. Deus Opt. Max. efficiat per immẽsam bonitatem & clementiam suam, ut tam ingens ac præsens animarum suarum, omniumq; sibi adhærentium periculum expendant & agnoscant, atq; salubriter in gremium piæ matris Ecclesiæ Catholicæ reuertantur, ac omni discordiarum et uulnere sanato & cicatrice obducta, ex animo læti nobiscum concinant illud Dauidicum, Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare frates in unum.

1. Corinth. 8. & 13.

P 2 Cæterum

tentio,& ad alium spectat articulum. Ad quam sane contentionem nos breuiter dicimus hic, Eiusmodi ceremonias atq; traditiones Ro. Ecclesiæ, haud recte per contemptum dici hominum inuenta & humanas traditiones, eas præsertim, quæ tot sæculis ab uniuersali Ecclesia receptæ, ac longissimo usu comprobatæ sunt, quia spiritus sancti potius, quam hominũ inuenta sunt, iuxta illud uerbum
Matth. 10. domini, Non enim uos estis, qui loquimini, sed spiritus patris uestri, qui loquitur in uobis. Et iuxta illud eiusdem Ille uos docebit omnia, & suggeret uobis omnia quęcunq; dixero uobis. Nec recte negatur eas ad cultum dei per-
Ioan. 14. tinere, quãdoquidem principaliter in cultũ & honorẽ dei ordinatę atq; institutę sunt, potius quam ad iustificationẽ aut remissionem peccatorũ consequendam, sicut falso imputat catholicis Philippus. Quanto enim sanctiores & iustiores sunt homines, tanto gratiores & acceptiores Deo sunt Ceremonię, quas in honorem Dei faciunt. Quemad
Gen. 18. modum scriptum est de holocaustis Noę, Odoratusq; est
Apoc. 5. Dominus odorẽ suauitatis super altare. Et in Apocalypsi uidit Ioannes phialas plenas odoramentorum, quę sunt orationes sanctorum. Contra uero de iniustorum ceremonijs ait Dominus in Esaia, Quo mihi multitudinem uicti
Esa. 1. marum uestrarum? Ne offeratis ultra sacrificium frustra. Incensum abominatio est mihi, &c. Magis igitur pro iustificatis, quam pro iustificandis institutæ sunt Ceremo-
Luc. 1. niæ, ut seruiamus deo in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris. Requirit enim Deus à nobis huiusmodi honorẽ, sicut ait per prophetam Malachiam, Si
Malac. 1. ergo pater ego sum, ubi est honor meus? Ipsi igitur Benedictio & honor & gloria & potestas in sęcula sęculorum Amen.

Appen-

APPENDIX EIUSDEM IO. COchlęi ad Senatū populumq; Coloniensem,

VIri Clarissimi atq; Catholicorum omnium laude dignissimi, post pręmissa omnia quæ partim mea partim aliorum sunt, Typographo transmissa iam & tradita, aduenerunt mihi quędam alia, partim Latine, partim germanice scripta, quæ uobis & animos confirmare constantiamq; in religione & fide antiqua roborare & laudē gratiamq; & fauorem apud Catholicos quoslibet adaugere per gratiam Dei poterunt. Cum igitur uos & Ciuitatem uestram ab ineunte propemodum ętate semper dilexerim & à quodam insigni ac celebri uiro, Patricij apud uos ordinis ciue acceperim Philippi Melan. pro defensione Buceri sui æditum libellum ut aduersus eum non nihil scriberē, operæ precium fore existimo, ut superaddam etiam ea quæ postea recepi. Quoniā ex ijs poterūt Externæ quoq; Nationes pietatem, prudentiam, obedientiamq; & constantiam uestram clarius cognoscere, & hoc memorabile factum uestrum, quo nouos admittere concionatores (quod impie & insidiose petebatur à uobis) recusastis, cōfidentius approbare atq; merito collaudare. Etenim per uetus quidam & perpetuo uenerandus mihi amicus, uir nobilis genere, nobilior eruditione, nobilissimus honestate uitæ & omnium uirtutum cultu & exercitio, Cathedralis cuiusdā Ecclesiæ Canonicus, longęuo senio uenerabilis, & Eleemosynarum largissimus distributor, non solum fratri tuo germano itidem, & eiusdem quidem, Ecclesiæ, Canonico sanctæ memorię iampridem in Domino quiescēti, sed etiā sanctissimis Episcopis Nicolao, Gregorio et Iohāni Eleemosynario hac in uirtute persimilis, eorūq; fidelis imitator (Cuius uenerabile nomen hęreticorū cōui-

Alia scripta recentiora.

cijs ex-

ciȷs exponere mihi non libet) Duas recens ad me scriptas familiariter misit epistolas, è quibus ut quædam eius uerba uobis referam, apposite ad rem facere uidetur. In priore igitur epistola sua sic mihi respondet, honorificentius tum quam ego promerui. Dilecte mihi in Christo frater, honorande Cochlęe, accepi tuas literas una cum lucubrationibus tuis unam pro Coloniensibus cõtra Buccerũ, alterã ad quendam non antea mihi notum Bullingerũ, De quibus tibi in primis gratiam habeo, quod earum me feceris participem. In his.n. non modo ingenium & doctrina, sed etiam mens & Christianus animus tuus mihi admodum arriserunt. Sed operę precium foret, ut Cæsar & Proceres Germaniæ uiolentiã, rapinas & sacrilegia hęreticorum cõprimerent. Quãdoquidem omnes illi hoc nostro infœlici sæculo student per has hodie ditari. Sunt hac nostra ætate in Germania multi, & quidem potentes, qui sua prodegerũt, suntque in opulentis Imperij ciuitatibus Vsurarij, Propolę, Monopolæ, homines auarissimi, Est uilis & imperita plebecula laquę nouatorem (quę mater errorum est) desyderat, Sunt mulierculę, quæ libertatem peccandi optarent. His omnibus facile ab hæreticis latronibus ad sacrilegia, ad rapinas, ad Epicurę am uitam persuadetur. Secuti sunt itaque isti nostri temporis hæretici Machometũ & Sergium egregie, qui placentia fuerunt locuti. Nihil.n. pręter libertatem peccandi & rapiendi (si quis respiciat diligenter) nobis attulerunt per suam doctrinam. Per sua namque studia usque adeo patriam nostram perturbauerunt, ut facile mihi foret ostendere priuatas ędes ciuium opulentorum in ciuitatibus Imperij, In quibus Quatuor diuersæ forent religiones, per eorum familiam obseruatæ, & inter quos aliqui Impij forent qui nec Deum esse arbitrarentur. Et quis non uidet per has discordias, ab hæreticis disseminatas, nos & patriam nostram Turcis fore proditam? Stultus

Epistola prior Canonici haud indocti.

Querentes ditari ex sacrilegijs.

Turbatores Patrię.

tus lapidem facile proijcit in puteum, quē Decem sapien-
tes non inde tollunt. Eant nunc hæretici, & lapidem ex-
trahant, atq; unanimes nos iterum reddant, ne in seruitu-
tem Turcarum redigamur. Eat nunc Lutherus, & nos ite- Cui seruit Lutherus.
rum in concordiam in Germania reducat, qui nunquam
hactenus cessauit discordias & sanguinis Christiani effu-
sionem, dæmoni seruiens, procurare. Nihil enim Dæmo-
nibus gratius quam discordia & sanguinis effusio Chri-
stiani. Sed hęc sunt nostra peccata & ultio diuina. Hęc ibi
In posteriore autem epistola sic habet.

Accepi tuas literas, mihi in Christo dilecte Cochlæe,
plenas tui erga me amoris. Legi quoq; liminarem Episto-
lam in Quintam tuam doctrina & eruditione plenā Phi-
lippicam. Vix credas, quantū arriserit mihi liminaris hæc
tua epistola. In qua cum bona modestia percellis, sine fu-
co tamen, illum senem, qui in ultima & extrema senectute
sua, ab unitate sanctæ matris Ecclesiæ nostræ defecit. Et Musculus Prædicator Augustensis.
infra. Mitto ad te nugas, quas Musculus, seductor Augu-
stensium, cōtra sacram Rememorationem passionis Do-
minicæ Missam effutiuit. Quid multis uerbis opus est?
Omnia eo tendunt, ut fucum faciant imperitæ plebeculæ
& mulierculis. Atq; ipsis interim liceat impune rapere &
sacrilegia exercere. Hic pendent leges & prophetæ Luthe-
ranorum, Zuinglianorum, Rebaptizantium, Euchari-
stiæ destructorum, in summa, omnium nostri temporis
hęreticorum. Pinguis enim est panis Christi, & delicias re-
gibus quoq; præbet. Quis non uidet, ob hanc solam dete-
standam auariciam & rapiendi studium, omnia turbari in
patria nostra? Nullam enim executionem iustitię cum pa-
ti uelint, Iudicio Cameræ subijci nolunt.

CAROLO Imperatori gladium illū, Banni uide- Bannum Imperiale à Luthero contemptum.
licet Imperialis. Quo Antecessores eius omnes Germanię
imperauerunt, uiolenter ex manibus eripuerunt, commi-

nantes bellum, nisi Bannum illud contra Mindenses, su≠
spenderet. Vtinam Carolus hæc consyderaret. Non fuit
quisq́ Princeps aut Ciuitas tam potens antea in Germa≠
nia, quæ subiecta Imperiali Banno, nō coacta fuerit obe≠
dire Cęsaribus. Hęc omnia eo tendunt, ut impune & uio≠
lenter hæreticis rapere liceat. Laudo itaq́ constantiam tu≠
am, quod facis quidem quod in te est. Sed cum auaricia
usq́ adeo inualuerit in Germania, de uictoria quasi despe≠
raui. Non te latet q̃ excellentis ingenij Chrysostomus fue
rit & quantus orator ac ad persuadendum idoneus. Hic
tamen inquit. Quotidie contra auaritiam pugno, & nihil
proficio. Ab eo autem tempore, quo Chrysostomus uixit,
heu quantum inualuit hoc monstrum, adeo ut uix hiscere
liceat, nec ferre uelit hæc auariciæ Tyrannis, ut quis con≠
tradicat retibus eorum quibus Orbem excoriant. Vellet
Musculus p̃parare uiam sacrilegis ad sacrilegia, ut prædia
raperent Deo dicata. Hinc ille clamor & detestatio san≠
ctissime Rememorationis dominicæ passionis.

Chrysostomus

Si unanimis esset Germania, magnas uires haberet.
Sed porci illi de grege Epicuri, tot discordias in ea semina≠
uerunt hæretici, ut timeā uehementer ne prodiderint nos
Turcis, fecerunt enim regnum in se diuisum ex Germania
Impij illi nebulones. Vtinam uero, mi Cochlęe, apud Tur≠
cas potius q̃ apud nos prædicassent. Cum nihil uideam
eos in patriā nostrā, præter peccandi & rapiendi libertatē,
seditionē, discordiā, sanguinis effusionē & infinita plau≠
stra conuiciorum attulisse. Si Turcis hoc Euangeliū præ≠
dicassent, essemus procul dubio securiores, si talem confu
sionem apud illos fecissent qualem in patria nostra fece≠
runt. Pœnitet me contriuisse tot bonas horas in legendis
eorum conuicijs & seditiosis Inuectiuis.

Turcis prædicandum Lutheri Euangelium.

Quæ omnia dum cogito, dumq́ uitam & mores ho≠
rum Patriæ nostræ perturbatorum consydero, peream &
spicula≠

Qui sunt, qui dicunt. Nō est Deus.

spiculatoribus tradat atque fune suspendat, si Lutherus, Philippus & Bucerus non dicunt in corde suo. Non est Deus. Alioquin non potuissent tot mala facere ac tantam in patria nostra & Catholica Ecclesia confusionem, si Deum Iudicem futurum crederent aut expectarent. Hæc & id genus plura uir ille optimus, senex pius & expertus integerrimiq; Iudicij, Cui securius nimirum creditur quam cunctis Apostatis et concionatoribus nouis qui nos maligne perturbant, scio enim probe, hunc uirum duntaxat zelo domus Dei ueritatisque & patriæ, atque salutis animarum desyderio, & nullo in personas odio illis aduersari & ita de ipsis sentire & scribere. Qui à principio plus satis candide Lutero fauebat, quando putabat eum contra abusus duntaxat Ecclesiasticorum, auariciæ retia extendentium, ueritatis causam suscepisse. Quemamodum & alij multi ab eo primum decepti sic putabant, sed oportune ac fœliciter, postea resilierunt. Post huius uiri scripta uidi Teuthonice ad uos, uiri Colonienses, epistolam à Cæsarea Maiestate datã, cuius tenor latine sic habet.

CAROLVS DEI GRAtia Romanorum Imperator semper Augustus &c.
Honorabilibus nostris et Imperij fidelibus N. Magistratibus & Senatui Ciuitatis Coloniensis.

HOnorabiles dilecti, dictum est nobis, quod aliqui Prædicantes alijq; nonnulli, nouæ religioni addicti & adhærentes, multipharian conati fuerint atque adhuc conentur, uos & communem Ciuitatem Coloniam à nostra antiqua uera *Laudati à Cæsare Colonienses.*

Catholica religione auertere, nouæ ipsorũ religioni adhærentes facere. Quibus uos hactenus id nõ permiseritis, sed eis (ut æquum est) restiteritis, atq; in hoc omnino Catholice ac bene uos gesseritis geratisq; adhuc q̃tidie. De qua sane actione uestra bona & exhibitione probe Christiana, nos gratiosum accepimus beneplacitũ, idq; singulari cum gratia & gaudio de uobis intelleximus. Quare clementissimo à uobis petimus studio, ut cõstanter sic ꝓsequamini, & nullo pacto sinatis uos ab hoc proposito abduci, aut ad ullam nouitatem permoueri. Vestros quoq; ciues subditos & abstrictos ad hoc ipsum inducatis atq; constringatis, ut & ipsi similiter constantes maneant ac perseuerent. Vosq; in hoc ita exhibeatis, quemadmodum nos de uobis omnino confidimus. Comperietis profecto, quod uolumus semper & Clementissimus uobis esse Imperator & uos cõmunemq; ciuitatem omni cum gratia in memoria commendatos habere: Id quod omnino de nobis polliceri uobis potestis. Datum Moguntiæ Nona die Augusti. Anno &c. xliij. Impĳ nostri xxiij. & Regni nostri xxviij. Hæc ipse Cæsar. Quæ ubi populo Coloniensi publice in Germanica lingua denunciata ac recitata fuissent, Amplissimus senatus, pro sua autoritate & prudẽtia, mox publicum subiunxit in hæc uerba decretum, ex Theutonico in Latinum, propter Externas nationes quibus id notum fieri operæ præcium est, à me uersum.

Decretum senatus Coloniensis.

Cum igitur is tenor supradictæ epistolæ ad honorabilem Senatum missus sit, & in ea mandatum, ut omnes ciues & subditi propterea præmoneantur, quatinus unusquisq; secundum eam se gerat ac dirigat. Ideo honorabilis Senatus uult unumquemq; ita pręmonitum & rogatum, ut nullus, siue Ecclesiasticus sit siue sęcularis, Ciuis aut incola, cum Prædicantibus nouarum sectarum & religionum, sese intromittat aut eos sequatur neq; occulte neque

manifeste,

manifeste, Nullus eorum prędicationes audiat, nullus cũ eis conuersetur, nec ullus eos in domum aut hospitium suum recipiat. Quemcunq; enim honorabilis senatus in his transgressorem deprehenderit, eum senatus neq; defendere uult neq; protegere, sed faciet eum apprehendi & ad debitam sisti pœnã, iuxta tenorẽ dictę Epistolę Imperialis.

Aduenerunt preterea honorabili senatui Põtificię quoq; sanctitatis similia quædam scripta & mandata, quibus petitur, ut iuxta ea agatur. Quo circa hõorabilis Senatus unicuiq; mandatum ac monitione ista insinuatum esse uult, nequis in Pontificiam sanctitatem nec in Cęsaream Maiestatem aut ullos Principes Dominosue, siue Ecclesiastici fuerint siue sæculares, ulla contumelia aut ullo iniurioso uerbo, quocunq; id excogitari aut fieri queat, utatur aut proferat. Siquis in hac transgressor deprehensus fuerit, eum uult hõorabilis Senatus ad debitam sistere pœnam. Secundum hæc poterit sibi quilibet cauere á damno & incommoditate sua, facta est hæc promulgatio in inclyta Ciuitate Coloniensi Die. XVII. eiusdem mensis & anni, quibus data est Imperialis Epistola.

Est deniq; & alia Imperialis Epistola Vuormacię Die sexta eiusdem mensis Augusti atq; eodem anno data ad Magistratus & Senatũ tũ nouę tũ ueteris ciuitatis Hildesheimensis, sed longe diuersissima á supra dicta ad nos Colonienses data epistola, seuerissima namq; est illa in mandato & comminatione & acerbissima in multarum transgressionum commemoratione. Vnde uehementer miseret me antiquę illius inter Saxones ciuitatis, quod sic á nouis Prædicantibus circumuenta, tot ac tantis excessibus, qui á Cæsarea Maiestate prolixe recensentur, sese obnoxiam, ac omnibus p͞ijs Christianis abominabilem fecit, sed propter honorem Patriæ & propter reuerentiã Episcopi Hildesheimensis, uiri sane Integerrimi pariterq; doctissimi

Mandatũ Cæs. Maiestatis ad Hildesheimenses.

mi, & per omnia Catholici (qui prorsus immunis est ab omni tot facinorum impiorum culpa) Domini mei Gratiosi, nolo eam epistolam in latinum transferre.

Laus senatus Colonien.

Vobis autem uiri Colonienses, ex animo amanter ac reuerenter congratulor, & Deo opt. Max. gratias propter uos ago, quod salutari prouidentia & uirili constantia Ciuitatem uestram à tantis malis, quæ uobis per nouos Cōcionatores superuentura erant, si eos admisissetis, liberastis fœliciter, & eam in Dei gratia & in bona ad omnes Cristianas nationes fama, ab omni hæresi impollutam cōseruastis. Vt iure ac merito dicat uobis senatoribus & populus uester hoc tempore et omnis eorū in futurum posteritas, quod de uictrice Holofernis Iudith uidua dixerunt

Iud. 13. et. 15.

filij Israel. Non recedat laus uestra de ore hominum, quia subuenistis ruinæ ante conspectum Dei nostri. Vos gloria Colonię, uos lętitia Agrippinę Catholicę, uos honorificentia populi uestri, quia fecistis uiriliter, & confortatum est cor uestrum in lege & fide Catholicæ per orbem Ecclesiæ

Dispar factū Hildesheimensium.

Non enim fecistis sicut fecerunt Hildesheimenses, qui contra ius & fas, inuito & reclamante ipsorum Episcopo, nouos receperunt sectarum Prędicantes, per quos ad tam enormes & plus quam impios & barbaricos cōcitati sunt excessus, De quibus improperat eis ac indignatur iure ac merito religiosissimus Imperator noster. Vos autem pie iuxta ac fortiter, secundum omnia iura, diuina & humana, rapacissimos æque ac insidiosissimos lupos pręcipuos post Lutherum nouarum sectarum duces, Bucerum, Philippum, Pistorium & id genus alios ab ouili Dominici gregis repulistis, licet ab ipsomet Episcopo uestro dicerentur subornati & immissi. Hæc est singularis Laus uestra, uiri pijssimi iuxta prudentissimiq̧, qua omnibus prelucetis ac prę eminetis Germaniæ Imperijq̧ sacri ciuitatibus

tatibus, quam uobis Deus Opt. Max. ratam solidamque in æternum usque conseruet Amen.

Correctorium.

B. 1. *facie. 2. linea. 19. de. lege do.* Et *facie. 2. li. 19 a me.* Et *li. 21. mecum*
F. 1. *fa. 1. li. 27. anni.* Et *li. ult. processione.* G. 2. *fa. 2. li. 16. sicubi.*
I. 1. *fa. 1. li. 18. compendiosum.* K. 1. *fa. 2. li. 5. dolere.* K. 4 *fa. 1. li. 13. errat..*
M. 4 *fa. 2. li. 25. futuram.* P 4. *fa. 1. li. 29. suo.* Et *fa. 2. li. 5. tamen.*